2

# CHRISTVS IVDEX

## TRAGOEDIA


P. STEPHANI TVCCII
E SOCIETATE IESV.

*Sæpius habita,*

Semper cum admiratione spectata.

Ex dono em.mi ac R.mi Camilli Maximi
S.R.E. Card.lis 1675.




ROMÆ, Typis Nicolai Angeli Tinassij 1673.
*Superiorum permissu.*

*Imprimatur.*
Si videbitur Reuerendiss.P.Mag.Sac.Pal.Apost.

*I. de Angelis Archiepisc.Vrbin. Vicesg.*

---

*Imprimatur.*
Fr. Raimundus Capisucchius Ordinis Prædicatorum Sacri Palatij Apost.Mag.

Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo

# PRINCIPI
# CAMILLO
# CARDINALI
# MAXIMO

*IOANNES LAVRENTIVS LVCCHESINIVS E SOCIETATE IESV Fœlicitatem.*



Ctogeſimus ferè annus agitur, Eminentiſſime Princeps, ex quo exceſſit vir immortalitate digniſſimus P. Stephanus Tuccius, cuius mirabilis Tragœdia, quæ inſcribitur, Chriſtus Iudex, editionis cupiditatem in plurimis excitauit: at innumera, quibus occupata erat, ſcriptorum menda, ac præſertim implexæ inuicem, & permixtæ ſcenæ, hanc in omnibus voluntatem infregerunt. Laborioſâ curâ, nec pœnitendâ, coniectando ferè, & hariolando, potius quàm plures codices conſulendo (omnes

enim corruptiſſimi erant) Auctoris mentem aſſequutus, ſic deterſi carmen, ac emaculaui, vt ad priſtinam integritatem, ac ſplendorem redijſſe tandem iudicari meritò poſſit. Repertum theſaurum publico deberi, & quod egregiè ſcriptum eſt, ſcriptum omnibus, cenſui: meumque putaui, quod, vt prodeſſet omnibus, publicum facerem. Deinde cum innumerabilia in me Tua ſint merita, Princeps Eminentiſſime, cumque, licet vniuerſa mea ad Te ſtudia deferam, probè animaduertam, eximiæ ſapientiæ Principis doctrinis omnibus ornatiſſimi omninò impar eſſe vectigal quam Tibi nuper Encyclopædiam conſecraui: alieno ſaltem è cenſu proferre munuſculum decreui, quod non indignum eſſe reor ſumma eruditione Tua. Et quoniam immortalitati donare illos nequeo, quibus mea nuncupo, vt Apion de ſe apud Tiberium Cæſarem gloriabatur (quamquam nec Ipſe indiges præſidio noſtro, qui Tuarum iure virtutum perennis famæ regnum ingrederis) huiuſce opuſculi gloriæ, non ante, vt arbitror, interituræ, quàm ab ipſo deſcripta ſuprema rerum humanarum cataſtrophe tandem exhibeatur, coniun-

ctissimũ Te penitus esse ambio, dum eidem è tenebris educto lucẽ quæro à fulgentissimo splendore Nominis Tui. Aequitatis amantissimo Principi, quique in ferendo suffragio præclarè sequitur exemplar diuini Regiminis, consentaneum duxi, Christum Iudicem repræsentare. Non minus Tibi, quàm Catoni, conuenit nobile illud Marci Tullij præconium: O te fœlicem, à quo rem improbã petere nemo audet! Qui causâ laborat, se Tibi vel amico iudici approbari posse desperat. Ad hæc Iusta cum omnibus facis, singulari Deum Religione, Charitate populum, & incredibili vtramque fortunam Tuam moderatione prosequutus. Hinc alio insuper nomine amplissima auspicia Tua flagitat carmen, quo censura de humano genere ferenda describitur, quia, cum viua Ipse sis Principum Sacrorum Idea, ex ipsa natura, moribusque Tuis leges haurire, & exprimere mores Immortali Iudici probandos cæteri possunt: ac Tua virtus eximia dignissimum Te exhibet, qui alia etiam iura populis tradas. Interim verò cum alienæ fœlicitatis studiosus vnicè sis, Regalis Tuæ Purpuræ patrocinio dignaberis carmen, quod saluberrimo ti-

more viam aperiens diuinæ charitati mirabilem afferet medelam animis laborantibus, qui eam à se, quam malint, in hac Tragœdia personam gerendam esse certò credant. Præsertim verò si mentes irritent oculis subiectæ fidelibus insperatæ conuersiones humanarum rerum miris à Poeta coloribus delineatæ. Quod præstari facili negotio potest, si præter consuetam scenam statuatur aliud tabulatum nubibus obsitum, imminens interiori proscenij parti: neque porrò necessarij sunt volatus, & machinæ, quæ magnos exigant sumptus, aut insolita theatri pictura, præter imaginem vrbis, nemoris, horti, rupium, & ostij tartarei, quæ in promptu esse solent vbicumque tragica spectacula exhibentur. Quorsum hæc, inquiet aliquis, tam prolixè, & vltra epistolæ modum, præfamur cum Sapientissimo Principe, qui consecrati sibi operis prerogatiuas statim animaduertet? Tecum videlicet præloqui audeo, quæ cæteris essent Lectoribus innuenda, quia eadem scribenti mihi affulget lux Humanitatis & Clementiæ Tuæ, quæ me ad fiduciam colloquij solet erigere. Hac fretus, non prætermittam cæteras eximij carminis

lau-

laudes, quæ iucundum omnigenæ doctrinæ Tuæ pabulum erunt. Admirabilius nullum huiusce Tragœdiæ argumento excogitari potest, adeoque implexum, patheticum, moratum, miserabile: quas dotes in præstantissima Tragœdia requirit Aristoteles: ideoque cum præclarè doceat præcipuam artem, qua populi in officio continentur, diuini scilicet Iudicis metum, gratissima accedet Illi, qui egregiè callet imperandi artes: & quæcumque ad rectè temperandos populos sanciuere iura Pontifices & Cæsares, complexus animo est: quæ doctrina Illum maximè decet, qui originem ducit à Nobilissimis Proauis, quos Principes, & summos exercituum Imperatores, & Patrię Patres ipsa olim coluit Romana Respublica, & consequentia deinde secula suspexere pacis, & belli artibus florentissimos. Præter eximiam scientiam Iuris, & Legum, Philosophiæ maximè addictus es, cuius præcipua pars Ethica summopere acquiescet in hac Tragœdia, præclarè informante hominum mores. Neque suæ deliciæ deerunt Theologiæ, & cognitioni sacrarum literarum, ad quas perpetuò respicit Vates, inserens carmini

præ-

præcipua Sanctissimæ fidei arcana, & quæcumque in diuinis voluminibus habentur de supremis mundi temporibus. Hæc quidem omnium ornamenta doctrinarum ita in Te confluxerunt, vt excellas in singulis: quod quidem decus in viro exempto à publicis muneribus eximium spectaretur: at in Principe, qui dignitatem, & gloriam maximis in Christianã Rempublicam meritis, summisque rebus gestis sit consequutus, prodigiosum videri potest. Sed enim sublime ingenium, & incredibilis ardor, quo suis perpetuò fontibus inhiantem vidit sapientia, omnibus Te literis irrigauit: cui siti maximam etiam noctis partem sopori ademptam indulges: & ea omnia, quæ semel hausisti animo, perpetuò retines, ac tempestiuè profers ex immenso ærario memoriæ: Vt proinde singulare docentis acumen, historica narrantis elegantia, politica censentis solertia, & suauis eloquentiæ flumen, Vrbem rapiat in admirationem Tui. Ad hæc Poeticæ, & illustriũ Artiũ, quæ illi famulantur, quæque manus, oculosque exigũt ingeniosos, & veteris eruditionis blanditijs caperis. Tuũ idcircò in sinũ sponte sua volat hoc carmẽ, cuius profectò styli candor;
eius-

eiusmodi est, vt aureum Latij seculum exhibeat.: Natiua enim est, non aduentitia eius elegantia, quamque non quæsiuisse precariò, sed in illam ius habere videtur Auctor, & potestatem : vbique ampla, erecta, neruosa : spinosa nunquam, austera, obscura : Ideoque repræsentans candidissimum, & elegantissimum Animum Tuum. Quodque in vno Principe Poetarum admiramur, ambitiosum in ea est nihil, ac nimium: Perinde ac in moribus Tuis. Vt omnibus illa est numeris absoluta, ita in Te mirificus quidam concentus est laudum: vastæ capacitas Mentis, exacta Prudentia, præcellensque Iudicium, Excelsa Magnitudo animi, Constantia, Grauitas, Indoles Suauissima, & Humanissima, ac plena Pudoris ingenui, ideoque populis omnibus, ac Principibus apprimè grata. Hinc, quoniam ad testimonium, gloriamque maximam huius Tragœdiæ pertinere putaui, Sapientissimi Principis laude ornari, qui non singulorum modò Vatum, sed illustrium etiam Academiarum Apollo sit, rogo, dignitati, ad quam meas nugas prouexit indulgentia Tua, adijcere digneris faustum alienæ virtuti suffragium : ac præstes, vt in Aucto-

ctore quoque huiusce carminis gloriari iudicijs Tuis possim. Explicata igitur, & omnium animum serenante Tua illa fronte idem excipe, ac eximia, qua polles, auctoritate tuere. Vale, Princeps Eminentissime, & Christianæ Reipublicæ fœlicitati diutissimè Viue.

# AVCTORIS ELOGIVM EX BIBLIOTHECA SCRIPTORVM SOC. IESV.

## *PETRI RIBADENEIRAE,* ET *PHILIPPI ALEGAMBE.*

STEPHANVS *Tuccius, natione Siculus, patria ex oppido Monfort, diœcesis Messanensis, natus anno Domini MDXL. Ad Societatem admodum adolescens accessit Anno MDLVII. Multa illi ad gratiam conciliandam aduersabantur, ætas inconstans, generis humilitas, aspectus horridior, consuetudo, moresque penè subrustici, sermo ab eo, quo natus est loco, non abhorrens; acris tamen indoles, multa obruta duritia, tanquam ex fumo lumen erumpens, naturæ impedimenta superauit. Ità summa ipsius lætitia in Societatem admissus, præmatura virtute in infirma ætate, magnæ de se excitatæ expectationi satisfecit. Floruit multis annis inter nobilia suæ ætatis ingenia magno semper sinceræ probitatis exemplo, & multis ingenij, doctrinæque laudibus. Solidis inprimis virtutibus ornatus, patientia præcipuè, & abiectione sui, nulla vnquam suorum commodorum habita ratione, totum se ad Societatis obsequia, & Præsi-*

*dum præscriptum semper impendit. Humanitatis studijs præsertim adolescens, & arte Oratoria multùm claruit, & locum sibi comparauit inter primos, & totos XVI. continenter annos iuuentutem hisce literis instituit; quo tempore omnes Philosophiæ, Theologiæque locos proprio studio, laboreque cognouit. Peritiam verò tantam rerum antiquarum, tum sacrarum, tum prophanarum sibi comparauit, vt clarum illud doctrinæ lumen, & nostræ Societatis ornamentum P. Alphonsus Salmeron, eum per literas de multis, velut oraculum, consuleret. Romam eo consilio venit, per causam quidem Theologiæ discendæ, verùm re ipsa vt quam maximam iuris ad conscientiam pertinentis cognitionem acquireret, quo se studiò maximè teneri dicebat; cathedræ verò, aliosque Scholarum plausus non magnoperè admirari. Romæ duobus annis Theologiæ Scholas frequentauit; & cùm ne vna quidem litera dictata exciperet, sola attentione, priuatimque inspiciendis Auctoribus, qui indicabantur, ita proficiebat, vt iam tum Magister potiùs quàm discipulus videri posset. Sic exacto curriculo idoneus habitus est, qui Patauij Theologiam explicaret, doctissimisque viris succederet, cuius de Trinitate commentationes, quas dictauerat, cùm typis ipso inscio quispiam mandasset, magni partus ingenij visæ sunt. Post annos aliquot conscientiæ quæstionibus præfuit Laureti: ac subinde Romæ studiorum Præfecturam gessit, & Theologiam cum plausu docuit, Magni Suarij Collega. Multi Magnates, & Romanæ Curiæ Antistites, & Purpurati, ipse etiam Romanus*

*Pon-*

*Pontifex Clemens VIII. illius & operâ, & doctrinâ ad difficiles quæstiones multùm vsi sunt. Sæpe Congregationibus Cardinalium iussus est interesse: Rector etiam præfuit Collegio nostro Pœnitentiariæ, quo in munere omnes optimi Præsidis numeros absoluit. In tanto rerum gestarum splend re quantâ fuerit animi demissione haud facilè potest explicari. Omninò se iudicabat indignum, quem bonitas diuina respiceret; quamuis interim firmâ fiduciâ speraret, salutem se diuinâ misericordiâ consecuturum. Porrò edomandi corporis, animique rebellantes motiones comprimendi fuit impensè studiosus. Aiebat, malle se mori, quàm sinistri quidquam in consilio suarum rerum admiscere. Multis annis indumenta nunquam exuit, nisi corporis verberandi causâ. Nudis asseribus in vnâ inuolutus lodice cubauit ad quietem. Victum communem, mensurâ semper eâdem moderatus; cùm semel in die tantùm cibum sumeret, noctu tenuem quamdam sorbitiunculam ex vili, & infecto olere decocto, cum vini haustu ad conciliandum somnum accipiebat. Noctibus singulis acriter se verberabat, & ab humeris ad pedes descendendo, rursumque à pedibus ad humeros ascendendo, nouum semper locum ictibus quærebat. Cilicinum thoracem, cum aliquando febri laboraret, ne in ipsâ quidem exuit morbi contentione. Somnum non plus horis quinis capiebat. Totidem quotidie horas diuinæ precationi tribuebat, semper de genibus in medio cubiculi, nullo subnixus fulcro, neque vlla vnquam animi, sensuumque sterilitate à proposito sibi spatio orandi defecit. Quinque ferè prius annis*

 quàm

*quàm decederet è vitâ, rerum pertæsus humanarum, factâ à Summo Pontifice copiâ, receptui cecinit, atque in Tusculanam quietem concessit; in quo secessu latentem quæsiuit Clemens Octauus, & perbum initer inuisit, reuertitque plenus admiratione, & documento virtutis. Demum continenti, diuturnàque mentis contentione ita se labefecit, vt ipse vrbano ioco semi se cadauer appellaret. Subinde circa ceruices informis illi natta succreuit, quæ minùs quinquennio suâ mole capitis magnitudinem exæquauit. Puluillis, ligneisque, ac ferreis fulcillis, variè subindè excogitatis, atque inter humerum insertis, enorme illud pondus substinebatur, eratque impedimento præter cætera ad quietem, cum situs aptus nullus inueniretur acclinando corpori, quin eo pondere contracti nerui fauces comprimerent, suffocarentque. Igitur aut nixus genibus lecto incumbens, aut pronus è transuerso lecto in sellulæ ad id paratæ brachia porrectus vtcumque conquiescebat. Tandem vbi humores verti cœpere in putredinem, neruos, ac musculos infecerunt, nerui cerebrum vitiarunt, quod eo malo irritatum contrahebatur, simulque neruos, qui circa collum tenduntur, contrahebat, ex quo aspasma cum intolerando cruciatu ciebatur; quod gulam contrahens, respirandi difficultatem faciebat. Eò res ad extremum deuenit, vt os diducere nequiret, aut quidquam mandere, & epiglottide ab radice contracta, ne liquoribus quidem infusis ali posset sine certo suffocationis periculo. Ideò ad vitam eius, quoad fieri posset, retinendam, calidorum odore panum & coctarum carnium, spiritus eius*

te-

*tenuiter recreandi fuerant. Ergo certus erat in oculis interitus, quem tamen etiam anteuertit compressione faucium semper se magis intendens neruorum contractio, e xtinxitque virum inter tot, tantaque mala admirabili æquitate animi, sui semper compotem, ac Iesum, ac Mariam ingeminantem, victo ceterùm dissimulatoque dolore, Romæ die XXVII. Ianuarij Anni salutis MDXCVII. ætatis LVII. Religionis XL sub Euerardo Præposito Generali quatuor olim vota Professum. In funere factus est impetus ad Viri Sācti reliquias vellicandas: capillus omnis, & barba rescissa, amiculus lineus, & bona pars togæ lacerata; carnem etiā non nemo furtim decerpsit. Omniū vna vox erat, beatum illum deprædicantium; quibus grauissimum addidit auctoritatis suffragium Clemens VIII. Sum. Pont., qui vbi eum intellexisset mortem oppetyſſe: Ergo, inquit, demum mortuus est Sanctus. Expressa coloribus post mortem vultus eius effigies est, & virtutes ipsius publicâ oratione laudatæ. Voluminis iusti res esset, quæ patientiæ, fortitudinis, & æquanimitatis, amoris in Deum, & duriora in dies patiendi documenta dederit, referre. Sed erit de his aliàs dicendi locus. Scripsit Stephanus Tuccius*

*Chronicon ab orbe condito ad Christi Natiuitatem.*

*Orationes item plurimas;*

*Dramata, & actiones Sacras, Heroico carmine compositas, inter quas obtinet principatum CHRISTVS IVDEX, sæpius cum admiratione spectata: & alia id genus multa;*

*Disputationes varias de Theologicis, Philosophicisque*

*que rebus, quæ in controuersia versantur.*

*Ingens volumen disputationum aduersus nostri temporis Atheistas. Sed hæc per mortem limare Stephanus, ac perpolire non potuit. Editæ sunt tamen ipsius.*

*Orationes tres, vna ad Gregorium XIII. Pont. Max. cum inuisit Collegium Romanum. Altera*

*In funere eiusdem Gregorij XIII: quæ propter elegantiam typis sæpe euulgata est. Tertia*

*De Christi Cruciatibus, habita ad Gregorium XIII. anno MDLXXXIII., quæ nuper cum alijs aliorum eiusdem argumenti recusa est: vti & altera habita ab ipso ad Sixtum V. anno MDLXXXVII.*

*Prodijt etiam ipso inscio*

*Tractatus de Trinitate, quem Patauij olim dictauit in scholis, tulitque magnam commendationem.*



PRO-

# PROLOGVS.

SAluete Patres Purpurâ illuſtris cohors,
Salue corona reliqua, Romuleum genus:
Vobis Iambus hanc ſalutem nunciat:
At vbi ſalutem dixerit, cedet loco,
Reliquaſque partes carmini Heroo dabit.
Poeta ſi quis clarus inter vos ſedet,
Nouum putabit, arbitror, tragicos pedes
Spoliari Iambo, nec ſub Archilochi metro
Grandes cothurnos magnam in orcheſtram dari.
Verùm rogamus, ne quis id nouum vocet,
Quod docuit ille Peripateticus ſenex
Author lycei primus, & Poeticæ
Magiſter artis, qui Tragædis, & Epicis
Commune ius in carmen Heroum dedit.
Id ille tradit, id ſagax ratio docet.
Etenim cothurnos, & leues ſoccos iubent
Vinciri Iambo, quòd familiarem gerat
Speciem loquendi, & verba meditandi catus
Diſſimulet artem. Rata quidem hæc, & firma ſit
Comædiæ lex, ſit eadem Tragœdiæ.
Conſurgat at ſi dramatis quoddam genus
Cognatum Iambo, quod tamen recipit graues
Reges, Dynaſtas, Cælites, Proceres, Deos,
Grandi ſonantes ore, cur non ſpiritu
Sonet altiore? Cur ab Heroi arceat
Metri boatu Principes, Satrapas, Duces?
Quos ſponte fuſus ſermo non adeo decet
Rebus in agendis, vt queant afferre nil
Domi paratum. Sed, tenendum eſſe, inquies,
Viam priorum, mos quibus nunquam fuit

Prohibere Iambum Tragicæ ab Orcheſtræ foris.
Planè id fatemur: cum tamen cæptis nouis
Nec ratio prudens, nec deeſt auctoritas,
Non veteris æui ſpectat vſum, ſed ſui
Sapiens Poeta, & tempori ſeruit libens
Popularis artifex: Iambus autem erat
In honore priſcis, qui magis cum ſedulò
Muſis vacarent, hos Poetarum modos
Non aure ſolùm metiendum duxerant;
Sed arte certa, ſed ſeueris legibus,
Natura rerum, & dramatum quas ſanxerat.
Nunc autem Iambi perijt & pretium, & lepos;
Si namque Medicos, Rethores, Dialecticos,
Si Philoſophorum, ſi Theologorum exedras,
Iuriſque Conſultos rogas, non vſpiam
Sint, quos Iambi numerus inſuauis iuuet;
Quòd & ſolutæ orationis artibus,
Et blandiente carminum caret ſono,
Paucos Poetas eximas, tum cæteri
Odere Iambum, carmen Heroum probant.
Iam ſi neque ars, neque ipſe Ariſtoteles vetat,
Noſtro hæc voluptas inuidenda ſeculo eſt?
Sunt alia quædam ſcita, quæ quondàm Ethnici
Sanxere vates; ſed neque hæc decreuimus
Seruanda ad vnguem: nam profanis legibus
Quis poſſe ſubiacere res ſacras putet?
Humana quis ſub iura Chriſtum Iudicem
Hominum coerceat? Quiritum concio,
Si non habes hic Sophoclis artes, quas probes,
Diſces at artes, quæ tibi ora Iudicis
Pacata reddant. Sed gementem Eccleſiam,
Fauete linguis, audio: cedam loco.

ACTVS

# ACTVS I.


## SCENA PRIMA.

*Ecclesia Dei.*

ILla ego tot populos æterno enixa parenti,
Felixque ante alias fæcundo viscere matres,
Frigida nunc senio, atq; effætis languida membris,
Excidia, & clades cogor deflere meorum.
Tu Pater Indigetum, cui vincla iugalia seruo,
Casibus in duris ades, & solare gementem.
Tu me coniugio primis dignatus ab annis
Formoso in nemore, & vernanti in sede locaras.
Otia tunc fuerant, superamque datura quietem
Alta quies, & pax æternæ pignora pacis.
Nec mora longa fuit: qui me genuere, parentum
Crimine rapta quies, & pax in prælia versa est:
Mutatique lares patrij squalentibus aruis.
Ergo me profugam dum terra hostilis habebit,
Arma manu tractanda mihi, repetendaque sæuo
Marte quies: & quos duxi sine cladibus annos?
Ecqua meis vnquam caruerunt secula bellis?
Nondum exempta lues: onera & grauiora minatur,
Maioresque acuit rapido Rex impius iras (1)
Pectore. Templa dabit flãmis, populabitur agros,
Ex imo noua iura feret, noua Numina condet:
Vbera,

1 *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio Mundi vsque modo neque fiet.* Matth. 24.

Vbera,queis populos alui, fædare veneno
Certabit, septemque mihi quæ balnea Coniux
Struxerat, eluere vt labes, & crimina possem,
Deijciet: rapiet torques, auroque micantem,
Qui mihi coniugij pignus datus anulus hæret,
Atteret. Heu quanto spumabunt arua meorum
Sanguine: quot gladio, subita quot morte cadētes
Respiciam, miseranda parens? Heu barbarus ensis
Natorum quoties lacerabit funere matrem?
Parce metu, mea progenies: neu tempus in vllum
Cede malis: dabit & vires, & prœmia vester
Digna Pater. Vos vos miseros, qui talia genti
Fata meæ, tantosque pijs inferre labores
Audetis: multo vobis grauiora luendum.
Exitia, & cædes in vos iurabit Olympus,
Mot que implacido frendens immugiet orbis.
Pallida nox rapiet solem, nec sidera reddet.
Grandine tecta ruent, & torto fulmine colles;
Sæuiet horrendū pelagus: vaga flumina lymphas,
Astra diem, fruges tellus auersa negabit,
Et rapidis tandem consident omnia flammis.
Maxime tu Iudex hominum, qui proximus instas,
Tu casus solare meos, tu sontibus æquas
Redde vices, meritosque meis pro cladibus ignes.



SCE-

## SCENA SECVNDA.

Recedente Ecclesia Sancti clamant ad Christum in Cœlo.

*Abel, Abraham, Petrus, Christus, Michael.*

*Abel.* REX hominum, & Summo Proles æquæ-
ua Parenti,
Qui nos in patrijs tecum considere regnis,
Æternasque iubes vnà tibi dicere laudes,
An modus vllus erit votis, precibusque tuorum?
Flecte oculos, precor, & terris pia lumina fige, (1)
Nate Deo. Quid adhuc cineres, atq; ossa piorum
Squalida morte iacent, tristique fluentia tabo?
Quorum alia aut scopulis illisa, aut mersa sub
vndas
Pontus habet, congesta alijs sunt saxa sepulchrũ,
Pars data præda auibus, vim pars experta fe-
rarum
Vel latet in scopulis, vel olenti ex arbore pẽdet.
Ergo etiam postquam gladios, Regumque
furores,
Verberaque, & gla. iem, & rapidos superauimus
ignes,
Primus ego ante alios, hic squalor nostra ma-
nebat
Corpora? Iam tandem finem, ó Regnator
Olympi,

Pone

1 *Posuerũt morticina Seruorum tuorum escas volatilibus Cæli, carnes Sanctorum tuorum bestijs terræ.* Psal. 78.

Pone malis: sua sit requies, ac præmia fessis (1)
Artubus, & dignis nostra hostes funera pendant
Funeribus: quid adhuc terris erramus inulti?
*Abr.* Ipse etiam cinis exiguus, cænosaque puluis,
Pauca loquar. Tandē post multos vidimus annos
Desponsam populis nostra de stirpe salutem:
Vidimus ex Erebi tenebris erepta piorum
Millia, tartareosque duces in vincla petitos
Vidimus, & Cęli reseratas vidimus arces.
Gratulor, atque habeo grates, & carmina dico.
Vna mihi reliqua est, animosque vna illa remordet
Cura meos, quod cū nostro tu sāguine cretus (2)
Nullam non foueas gentem, contemnis & arces
Hæbreas, ciuesque tuos. Æquumne carere est
Nostros, quam reliquis ipsi peperere, salute?
Quod si certa meis spes est post vltima mundi
Secula, da spatijs saltem breuioribus annos
Currere, da celeri fatalia tempora cursu
Præcipitent: ne longa dies mea fata moretur.
*S.Pet.* Iam satis obluctata mari, Boreæque furenti
Nostra ratis, satis & diuturnis militat annis.
Ostensum satis est, nullas obsistere vires (3)
Consilijs potuisse tuis: nunc ponere fessos
Arma iube, & fidus referat sua præmia miles.
Contra age, debella Reges, populosque nocētes
Qui

1 *Vsquequo* Domine *Sanctus*, *&* *verus non iudicas*, *&* *non vindicas sanguinem nostrum de ijs*, *qui habitant in terra*? Apoc. 6.

2 *Cæcitas ex parte contingit in Israel*, *donec plenitudo gētium intrauerit*, *&* *sic omnis Israel saluus fiat*. Rom. 11.

3 *Et portæ Inferi non præualebunt aduersus eā*. Matt. 16.

Qui tibi nec ſacra thura ferũt,necNumen adorãt
Aut ſanctas violant non dignis moribus aras.
Contempſere Patrẽ, timeant modo Iudicis iras.

*Chri.* O Socij, mecum clades,mecumque labores
Perpeſſi, ò dilecta cohors, pars altera noſtri
Pectoris, haud equidẽ veſtris obſiſtere mens eſt
Optatis:iam dudum eadem me cura ſub alto
Corde premit: rata vota dabo, quæ ſupplice dextra
Funditis;At ſubeũda prius manet vltima clades,
Spargendus cruor,& ceruix feriẽda piorũ eſt.(1)
Venturus falſo ſimulat qui nomine Chriſtum,
Qui circum terras, & qui maria omnia circum
Et face, & aduerſis noſtros exerceat armis.
Poſtquam illum fatali adigam ſub Tartara telo,
Haud lõgè eſt ſuprema dies:nec plura morabor.
Huc Michael.

*Mich.* Adſum Michael.

*Chri.* In pallida Ditis
Mœnia verte gradũ præpes,geniũq;rebellem, (2)
Quem dederam vinclis ſub Tartara mille per annos,
Solue: aditũq; aperi ad Superos,vt numine læuo

Tranſuer-

---

1 *Videte ne turbemini;oportet enim hæc fieri,ſed nondùm ſtatim finis; ſurget enim gens in gentem, & Regnum in Regnum; & tradent vos in tribulationem.* Math.24.

2 *Vidi Angelũ deſcendentẽ de Cœlo habẽtem clauem abyſſi & catenam magnam in manu ſua, & apprehendit draconem Serpentem antiquum, & ligauit eum per annos mille, & cum conſumati fuerint anni mille, ſoluet Satanam de carcere ſuo, & exibit, & ſeducet gentes,quæ ſunt ſuper 4. angulos terræ.* Apoc.20.

Transuersos rapiat populos, mundiq;supremum
Incohet interitum.

*Mich.* Properè mandata facesso.

## SCENA TERTIA.

Cęlo clauso descendit Michael ad soluendum Acherontem Satanam.

*Michael, Acheron.*

*Mich.* Iam ventum ad fauces Herebi: squalentia cerno
Ostia: ter nostra pulsentur cuspide postes,
Et ruat aduersum conuulso cardine limen.
O quem Tartareus bis quina in secula vinctum
Carcer habet, cæcis, Acheron, caput effer ab vmbris.

*Ach.* Me miserum, ad quæ fata vocor? Cladesne luenda
Maior adhuc? Specus an subeunda immanior vlla est?

*Mich.* Pone metum; neque enim nunc ad grauiora vocaris
Exitia; imò aditus Superûm tibi liber in orbē est:
Egredere, & circum nexis te te exue vinclis:
Magna tibi datur à Mundi Rectore potestas,
Regna hominum, & maria, & gentes agitare quietas:
Terrarum cape sceptra, atq; his interritus aude,
Quæ liuor, quæcumque furor, quęcumque libido
Suaserit.

*Ach.* Haudquaquam inuitus tua iussa capesso.
Iam tādem datur in populos rabiemq; luemque

Spargere: iam quatere exitijs, & cladibus vrbes.
Agnorint homines: quanto cum Principe iungãt
Bella, gematque meis concussus viribus orbis;
Sed quis erit mihi de multis, qui cępta satelles (1)
Nostra iuuet, peragatq; libens, quæ pectore verso
Consilia? Hebræa quondam de gente futurum,
Qui Libertino fuerit Genitore creatus, (2)
Fama est, qui scelere, atq; infandis omnia bellis
Misceat: hic mihi nunc opus est, hic protinus, hic est
Quærendus, Babylon vbi celsas erigit arces.

## SCENA QVARTA.

*Antichristus, Acheron.*

Acheron erigit Antichristum ad spem Regni.

*Ant.* ERgone Christigenum fastus, populumque superbum
Hebræi patimur? Patimur per templa, per aras
Tot simulacra coli, & mentitum numina Iesum?
Heu gentem inuisam, & veræ pietatis alumnis
Exitiale genus, vos Regum sceptra tenetis,
Vos, vos indigna geritis diademata fronte?
Vester honor, vestri fasces, & Regia vestra est?

B Ad

1 *Fiat Dan coluber in via cerastes in semita mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro* Gen. 49.

2 *Postquam Acheron Babylonem peruenit hebræum adolescentem reperit in agro solum, qui futurus erat Antichristus: priuatum tunc quidem, sed multa Christianis minantem. Futurum autem antea priuatum significat illud* Danielis 11.

*Et stabit in loco eius vilissimus, & indignus decore Regio, & veniet clam, & obtinebit Regnum in fraudulentia.*

Ad vos imperium, ad vos iam delata potestas
Romulidum? nos huc deiecti culmine Regni
Infames, profugi, ignauum sine nomine vulgus
Exilijs agimur, patrijsque erramus ab oris?
*Ach.* Incensum iuuenem furijs, & multa querentem
Audio; sed nostro conspectu territus hæsit:
Nunc pugilem intentat gladium, ferroque minatur.
*Ant.* Quisquis es, absiste hinc procul, & vestigia retrò
Verte celer.
*Ach.* Nec vim, iuuenis, nec noxia cuiquam
Tela fero; nihil hic opus est gladioue, minisue;
Quin potius me dante feres, quæcumq; rogabis:
Quod nomen tibi, quod genus est?
*Ant.* Ego nomine Saulus,
Et genere Hebræus, nostręque e a gẽtis origo est.
*Ach.* Acta mihi res est, tu votis ipse petitus
Omnibus: Vt video, iuuenis non indole segni est.
*Ant.* Sed tibi quæ Patria est, quæ gens?
*Ach.* Ego noctis opacæ
Arbiter, vmbrarumq; potens, ego Rector Auerni.
Ne paueas: rectè tecum est: hæc culmina mõtis
Ascende, atque omnes latè circumspice terras.
Hic Notus, hic Boreas, gemina hæc est regia solis.
Horum ego sum Deus, ac rector: si tu mihi supplex
Ad genua accideris, tu rerum iura mearum
Accipies: tradam pelagi, & telluris habenas.
*Ant.* Nulla mora est, cur te regnorum, aurique potentem

Non venerer, ſi das præſertim in prælia vires,
Quæ iam dudum animus verſat.

*Ach.* Quibus arma minaris?

*Ant.* Chriſtigenis.

*Ach.* Iiſdem iampridem ego bella, luemque
Molior, hos ipſos aduerſis proſequor armis;
Hæc inimica mihi totum gens vna per Orbem.
Vade age, cõmunemq; luem communibus armis
Aggredere:

*Ant.* Vnde mihi bello delecta iuuentus?
Vnde cohors? qui miles erit?

*Ach.* Faxo, omnia cedent
Pro votis. Ecce auri, atque æris millia pondo (1)
Quæ tibi ſub terris longo ſeruantur ab æuo:
His tecum populos, his his ad noſtra maniplos
Caſtra trahe: quos non aurũ tua ſub iuga mittet?

*Ant.* Hebræoſne etiam?

*Ach.* Certè tua ſigna ſequentur
Hebræi, ſi te mutato nomine Chriſtum (2)
Dixeris, illũ, inquam, magni quẽ Rector olympi
Hebræo generi primis promiſit ab annis.

*Ant.* Nulla fides erit, & fingi ſibi ſomnia credent.

*Ach.* Facta fidẽ faciẽt: hæc noſtri inſignia Regni (3)
Sceptra cape, his animos inferno ex orbe ciebis,
His terram quaties, his & iaculabere nimbos,



1 *Dominabitur theſaurorum auri, & argenti.* Dan. 11.

2 *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me, ſi alius veniet in nomine ſuo illum accipietis.* Io. 5.

3 *Et dedit illi draco virtutem ſuam, & poteſtatem magnam, & fecit ſigna magna, & ſeducit habitantes in terra propter ſigna, quæ data ſunt illi ſa cere in conſpectu beſtiæ.* Apoc. 13.

Et subitas per inane faces ad viminis ictum:
Ipse adero, & tecum quæuis miracula rerum (1)
Perficiam.

*Ant.* Placet: in virga, atque in vimine sacro
præsidij satis est.

*Ach.* Si quos nec facta mouebunt
Prodigia, & malesuada fames non vicerit auri,
Hos adige in tormenta reos, extremaq; rerum (2)
Exempla: ante alia ex patria tibi gēte Tribunos,
Armorūq; Duces statue, atq: in prælia mitte. (3)
Sed primùm Solymas dux improuisus in arces
Castra moue, & subitis trepidā terroribus vrbem
Belloq: imperioq; preme: hęc tibi regia sedes. (4)
Hinc subiges reliquas demisso milite gentes.
I fælix, leue non pretium est ingentibus ausis.

## SCENA QVINTA.

Recedit Antichristus: interim Hierosolymis duo signa ostenduntur aduentantis Antichristi prænuncia.

*Symeon Sacerdos Christianus, Sephron, Arab Viri Populares.*

*Sym.* PRoh quàm mæsta dies, & quamquam nubila Cęlum
Nulla tegunt, & adhuc astrorum lumina fulgent,
Lux

1 *Et datum est illi bellum facere cum Sanctis, & vincere illos.* Apoc. 13.

2 *Et docti in populo docebunt plurimos, & ruent in gladio, & in flamma, & in captiuitate, & in rapina.* Dan. 11.

3 *Emittet manū suam in terras, dominabitur in omnibus pretiosis AEgypti, per Lybiam quoque, & AEthiopiam transibit, & figet tabernaculum suum, &c.* Dan. 11.

4 *Datum est gentibus, & Ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.* Apoc. 11.

Lux tamẽ inuiſa eſt, circumque expalluit æther.
Sed tonuit Cœlum. Quò ſe pulcherrima Virgo
Extulit? Et ſolis radios induta, coronam (1)
Fronte gerit contextam aſtris, pedibuſq; ſuperbis
Et lunam premit, & parientis more puellæ
Horrendum gemit.

## SCENA SEXTA.

Videntur prodigia cœlitus delapſa.

*Eccleſia Dei.*

HEu quam difficili rumpuntur viſcera partu!
Quantus dilacerat membra recuſſa dolor!
Tu Pater omnipotens, & qui potes omnia coniux,
Progeniem foueas, pignora noſtra, tuam.
Immanis labor eſt: tua me niſi dextera tollat,
Et matrem, & ſobolem mors dabit vna rogo.
Quin & acerba fremẽs in me Draco guttura laxat,
Inque vterum ſpirat dira venena meum.
Da mihi Cælicolas, da ſæua in prælia vires,
Da Superûm gladijs peſtis abacta ruat.

*Seph.* Ecce aliud mirabile viſu!
Ingens è Cœlo ſeptem capita extulit anguis, (2)
Lucida ſideribus totidem, atque horrentia denis
Cornibus: en caudã ſubitos dum toruus in orbes
Implicat, auulſa aſtrorum pars tertia Cęlo eſt.



1 *Signum magnum apparuit in Cœlo. Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura, & poſtquam vidit Draco quòd proiectus eſſet &c.* Apoc. 12.

2 *Et vidi de mari beſtiam aſcendentem, habentem capita ſeptem, & cornua decem.* Apoc. 13.

Adsunt Cælicolæ : gladijs, & fustibus anguem
Præcipitem Cęlo rapiunt. Heu quos super agros
Hoc monstrum ruet? hinc fugite ò iuuenesque senesque.

*Sym.* Nos miseros in quam cladem, in quæ tempora rerum
Seruati sumus ? heu quæ Cœlum fata minatur?
Iam tandem redeunt Diuina oracula vatum,
Diraque fatidicis toties repetita Sybillis,
Signa fidem accipiunt, & certo certa probantur
Euentu ? Sed quis fragor hic ? quæ tanta virorũ
Heu fuga ?

*Arab.* Continuo in syluas, nemorumque recessus
Diffugite, ò Ciues ; ingens se se æquore tollit
Bellua, quæ tumidis septem ceruicibus horret :
Ore leo est, Vrsum plantis, & corpore Pardum
Reddit : vbi à tanti monstri feritate latendũ est?

*Sym.* O Socij, agnosco auspicium, Mundique ruentis
Interitũ; Iam iam ille aderit, qui nomina Christi
Arroget, atque aliam legem, & contraria nostris
Iura feret : nunc obniti, nunc stare necesse est:
Nunc lacrymis opus ad Superos, nunc pectore firmo.

## SCENA SEPTIMA.

Antichristus hortatur suos Milites ad Hierosolymam occupandam.

*Antichristus, Gamaliel Dux eius :*

*Ant.* ARmorum satis est, sat multæ in castra cohortes,
Sat multi coiere Duces. O viuida bello

Pe-

Pectora, nunc ſpectāda fides, nūc Martia virtus:
Exiguus labor, at pretium non vile laboris
Quemque manet: rectà Dauidis mænia bello
Appetimus. Sed iam ſors inuida nequa moretur,
Famam in finitimas aliam vulgauimus oras,
Scilicet has mitti Turcarum ab Rege cohortes
Me Duce, queis redigā ſub Thracia iura Dynaſtas
Ethyopum: facile eſt mandata imbellia Regum
Mentiri cera, ac tabulis: munita ſub Vrbem
Caſtra dabit, tutam Proregis epiſtola noctem,
Quam modo confictā Solymo pro Conſule miſi.
Aſt vbi murorum vigiles nox atra monebit
Obijce ferratos poſtes, ac tollere pontem,
Extemplo ruite, & cæſis cuſtodibus vrbem
Incautam, vino madidam, ſomnoque ſepultam
Opprimite, ac mea ſigna efferte ex mœnibus altis.
*Gam.* Adſumus: en capita, atq; animas in tela parati
Obijcere: en vallos extructaſque aggere foſſas
Circū caſtra damus. Verū quò cymbala, quò tot
Nabia pulſa crepant?

## SCENA OCTAVA.

Bogud miſſus à Præſide Hieroſolymitano munera defert Antichriſto, qui iam ſub Vrbem conſtiterat.

*Bogud, Atinchriſtus.*

*Bog.* SAlue, metuenda poteſtas
Threijcij Regis: Solymæ qui præſidet aulæ,
Annuit huic vrbi, ac tectis ſuccedere, quando
Hæc dona, hæc fideiq; & amoris pignora mittit.
*Ant.* Dona libens capio, memoriq; in pectore ſeruo.

At lux cum primum terris se crastina reddet,
Vestri succedam sub amicas Præsidis arces.

## SCENA NONA.

Vigiles vrbis colloquuntur ex mænibus.

*Arbel, Seth Custodes, Gamaliel.*

*Arb.* NOx tacita humentem iam dudum obnubit olympum,
Et iubet occludi postes.
*Seth.* Nihil amplius, Arbel,
Cunctandũ est: vectes, & robora dura paremus.
*Gam.* Constrepuere fores, vigiles ad limina cerno.
Quæ mora, fida cohors? celeres erũpite castris,
Ferte citi gladios, ferroque inuadite valuas.
*Arb.* Quò furor hic, iuuenes, quó tela infertis, & hastas?
*Gam.* In cædem ruite, ò Socij: nunc ense furendũ est.
Primùm ipsos vigiles laceret falcata bipennis.
*Arb* Veh, miseris quæ tanta lues, quæ turribus altis?
Veh Solymo generi: properate ad mænia ciues:
Hostis adest, strictoq; ruit mucrone per vrbem.
*Gam.* Tendite nunc volucres arcus, nunc spicula neruo
Mittite: nunc Solymas, palantiaq; agmina telis
Sternite: nec plebi, aut populi primoribus vllis
Parcite, dum nostras Aquilas, & signa vereri
Discat Hebrea cohors, Regiq; obsistere Christo.

SCE-

## SCENA DECIMA.

Irrumpunt Portas Milites, & simulāt pugnare intra Vrbē:post egreditur Gamaliel ad Antichristum.

*Gamaliel, Antichristus, Iubal, Lamech.*

*Gam.* SAT flammis,ferroque datum,Rex maxime Regum:
Omnia cæde natant.Quos nōdum perculit ensis,
Vnanimes tibi sceptra ferūt, sacramq;Thiaram.
His itaque ignosci iubeas: ea turba superstes
Muniet, implebitque nouis tua castra maniplis.
*Ant.* Parcimus, & quia iam Solymas insedimus arces,
Victrices Aquilas reliquū mittamus in Orbem.
Hebræas tibi iunge manus, fortissime Iubal,
Arvaque Threijcij penetra Bizantia Regis;
Illa supremus Graiorum Antistes in vrbe est,
Talia cui mandata refer:Sacer æthere ab alto (1)
Christus adest, Solymamque tenet Rex maximus vrbem.
Hic missus Genitore Deo est, vt cogat in vnum
Relliquias Solymi generis,populumq; potentem
Romulidum, & quocunq;sitas sub sydere gētes;
Tu quoq; da socias dextras, nostrumq; Pelasgos
Mitte subImperiū,Turcamq:hortare Tyrannum,
Faxit idem supplex: quod si parere recusat,
Hoc, Iubal, ferro aggredere, & quate mœnia bello. *Iub.*

1 *Et data est illi potestas in omnem tribum, & populum,& linguam,& gentem & adorauerunt eum omnes qui inhabitant terram.* Apoc. 13.

*Iub.* Perficiam dicto citius.

*Ant.* Fidissime Lamech,
Eoo simulac aurora affulserit orbi,
Compitaq; & totam cōple clangoribus vrbem,
Et refer, aduenisse hebræo ex sāguine Christū: (1)
Templum adeant omnes, vbi me cælestia iura
Mandantem excipiant.

*Iam.* Populos ad templa vocabo.

*Ant.* Tu quoque, Gamaliel, cui non est frigida bello
Dextera, coge tuas acies ex gente Syrorum,
Pontificemq; mone Romanū, vt subdat habenis
Seque, suosque meis. Quod si mea iussa superbus
Detrectet, Latias admoto milite turres
Demolire ferox, Vrbemque excinde Quirini.

*Gam.* Exequar hæc, quæcumque iubes, Sanctissime
Princeps.

## CHORVS PROPHETARVM.

FLemus extremos hominum labores,
Flemus in finem properantis æui
Funera, & iam iam quatienda sæuo
Regna tumultu.
Vltima en orbem lacerant ruentem
Fata, quæ nostri tripodes canebant.
Æmulus Christi populos, & arces
Obsidet armis.
Heu quis insanam rabiem Tyranni, (2)
Quis truces bello fugiat cohortes?
Nudus hinc illinc furit, & per vrbes
Fulminat ensis. Sed

1 *Et abutetur tēplo Christianorum, quod est Hierosolymis.*
2 *Et brachia pugnantis Populi expugnabuntur à facie eius, & conterentur, & superabit in modico Populo.* Da. 11.

Sed quid hos demens agitas furores?
Arma qnid Diuis inimica versas?
Non ruent vllis agitata bellis
Castra piorum.
Regiam Christi bene firma cautes
Substinet; non has metuit procellas,
Non timet, quamquam cumulata plenis
Fulmina nimbis.
Cymba, quam pontus, zephyrique iactant,
Fluctuat; sed non superanda fluctu est.
Quo ruat casu, pelagi potentem
Nacta magistrum?
State: nil, Christi soboles, timendum:
Author ad pugnam Deus est, & idem
Militi fesso meritos in astris
Reddet honores.

*Finis Actus Primi.*

# ACTVS II.

## SCENA PRIMA.

Sacerdos detegit dolos Antichristi.

*Lamech, Gad Viri Populares, Antichristus, Acheron, Salatiel Sacerdos Christianus.*

*Lam.* CLangite nunc lituis, huc cogat buccina plebem.
*Gad.* Quid tuba, quid rauco monuerunt cornua cantu,
Heu iuuenes?

*Lam.*

*Lam.* Iam iam ad sacras Rex maximus aras
Venturus, vos hinc venientem cernite Regem
Iam taciti, intentique animis audite loquẽtem.
*Ant.* Accipite ò ciues, animisque aduertite vestris
Quæ referam. Rex Hebræis promissus ab æuo est,
Qui mortis rabiem frangat, qui tollat Auerno
Exuuias veterum Patrum, Cœlique recludat
Ostia, qui scelerum, & primæuæ viscera culpæ
Abrumpat, latèque omnes dominetur in oras.
Hunc prisci Reges, hunc optauere priores
Cernere, nec licuit: vobis hoc munere tanto
O ciues, gaudere datũ est; quid plura necesse est?
Non mentem ancipiti suspensã ambage tenebo,
Ille ego sum: Deus hanc vobis me ferre salutem
Iussit, & id clara testatur voce per auras:
*Ach.* Filius hic meus est, hæc est Patris vnica Proles.
Hunc animis audite pijs, & pectore casto.
*Sal.* Non equidem tua, non equidem me vana mouebunt
Somnia: nec quicquid ferijt fallacibus auras
Vocibus, Eumenidum Princeps, responsaq. finxit
Digna Deo: ne vos, socij, vestigia patrum
Linquite: pręcepta, & monitus retinete priorum.
*Ant.* Taliane infandis animis, atque ore volutas,
Improbe? tanta tibi ventosæ audaciá linguæ est?
Tundendum colaphis monstrum.
*Sal.* Quæcunque mineris:
Christum ego nõ alium noui, nec noscere fas est.
Non alium, nisi quem dispersis arbore palmis
Respicio morientem, & culpas morte piantem.
*Ant.* Insignem memoras Christum, & te numine iactas

Egre-

Egregio, delire ſenex, quæ nam tua mens eſt?
Quid potes ex illo tutam ſperare ſalutem,
Qui nequijt capitique ſuo, capitique ſuorum
Tortorũ rabiem, & miſerandam auertere cladẽ?
*Sal.* Quæ probra, quę noſtro iactas cõuicia Chriſto,
Hæc decora, hæ laudes, hæ ſunt inſignia gentis
Chriſtigenæ. Chriſtum illum, quamquam extrema ferentem
Supplicia, & flagris lacerum, nulloque leuatum
Auxilio, haud vllæ vires, haud fœdera Regum
Haud ſtygiæ potuere manus depellere templis,
Haud ſpoliare Dei cultu. Stant nomina Chriſti,
Stat pia Relligio, & manſuræ in ſæcula leges.
*Ant.* Quis furor hic? quæ te demens inſania verſat?
Non vires horrere meas? non cedere noſtris
Imperijs? grauia, ó iuuenes, intendite palmis
Vincula, dementi excutient tormenta furorem.
*Lam.* Heu quem turba hominem collatis ſubuehit vlnis?
Quó miſerum trahitis, cur Sancti Regis ad ora
Nolentem trahitis?
*Gad.* Tu Rex miſerere furentem.
*Ant.* Agnoſco luctantem animam, quã dira coercet
Tiſiphone; huc hominem trahite, atque hìc ſiſtite feſſum.
Ille ego quem ſummo Genitor demiſit Olympo,
Ægris Tiſiphonem iubeo diſcedere membris.
*Lam.* Quam ſubitò poſitus furor, & rabida ora quierunt?
Huic verè Pater eſt, Cœli qui temperat arces.
*Sal.* Haudquaquam, ſocij: non hoc à Numine Diuûm eſt

Conſcius at Pluton, & amica peregit Erymnis.
*Ant.* Hæccine tu, ſcelerata lues? Ea crimina Chriſto
Obijcis? hos iugulos, hæc colla tumentia vinclis
Comprímite, & ſummo funem ſuſpēdite trunco.
*Sal.* Lætus ego & funē ſubeo, & ſuſpendor in auras.
Hinc Cælum aſpiciam, ſuperaſque propinquior
ædes.
Te Phlegeton manet, vltriceſque in ſecula flāmę.
*Ant.* Tollite, ne diro terraſque homineſque veneno
Imbuat; ille tuus te nunc ad ſidera Chriſtus
Erigat.
*Sal.* O miſerum certè: Et tua templa vereri
Inuitos adigis, pœniſque ac funere verſas?
Falleris ò demens, alia ratione furendum,
Et melior tentanda via eſt: Quó plura minaris,
Quó letho dederis plures, maioribus omnes
Viribus obnixi patrias tutabimur aras,
Fundemuſque animas pro relligione parentum.
Quot tuus ex noſtris vita ſpoliauerit enſis,
Æterni totidem reparabit dextera Regis.
*Ant.* Tene etiam inſanire iuuat? Vincite furentem,
Nudate illi humeros, reuocate in terga lacertos
Et latera & dorſum totis infigite loris.
*Sal.* Ieſu ades, & validas ín verbera ſuffice vires.
*Ant.* Ieſum proclamas: depellat verbera Ieſus.
*Sal.* Ieſum ego ſub flagris, vnum ſub carcere Ieſum
Imploro: hac vna ſolabor voce dolorem:
Non hoc ore mihi excu tíes, non pectore nomen.
*Lam.* Ecce autem iuuenis pheretro, ſtipāte corona,
Effertur, paſſis ſequitur de more capillis
Mater, fæmineoque vlulatu ſidera pulſat.

SCE-

## SCENA SECVNDA.

Falsis prodigijs Antichristus famam sibi conciliat.
*Dina, & Cæteri.*

*Dina.* ME miseram! cui me genitricem linquis habendam,
Nate, tuam? Quid adhuc vitales demoror auras
Me tecū trahe, & in tumulum fundamur eundē.
*Ant.* Siste, parens, gemitus: vos huc frigentia mēbra
Ferte, viri; viden hunc inopina morte iacentem
Salatiel? viden, extinctum florente iuuenta?
Experiare licet, valeas si Ditis ab antro
Sublatum iuuenem in gremium reuocare Parētis
*Sal.* Non opus est, tentare iterum miracula rerum.
Talia multa satis quondam gessere priores,
Quę modo tu figmēta canis: quę dogmata fingis,
Hæc tu prodigijs firma; hæc munire necesse est
Arte noua?
*Ant.* Imbellem dextram, virēsque negatas
Dissimulare paras: non hæc tibi tuta manebunt
Effugia, ó quotquot iuuenile ad funus adestis,
Huc mentes, huc ferte oculos. Attolle pheretro
Membra, puer, superasq; veni rediuiuus ad auras.
*Lam.* Quāta viri virtus, quantū est in pectore numē!
Audijt ex Erebo vocem, pheretroque resedit
Mortuus.
*Sal.* Haudquaquam falles, ò callida pestis.
Non viuit puer; at gelidos infusa per artus
Tisiphone simulat voces, animamque receptam.
Sed fugiet procul hinc audito nomine Iesu.
*Ant.* Non flagris victa est rabies? In colla securim

Sol-

Soluite,discerptumque hominem ceruice reuulsa
In flammas trahite,& cineres ludibria ventis
Spargite, iam properate: sequar spectator, &
vltor

## SCENA TERTIA.

Inopes,& cæci de Antichristo colloquuntur.

*Isachar, Galad.*

*Isachar.* AVdistin quàm magna ferant de Principe Christo,
Qui visus pridem in terris,& corpora soluit
Eumenidum furijs,& manes euocat Orco,
Artusque examines vitali robore firmat?
*Gal.* Audiui,atq; vtinam illius contingere vestes,
Osculaque augustis liceat defigere plantis:
Tu pedibus rectis,ego claro lumine fælix.
*Isac.* Quin etiam largis illum, atque ingentibus
aiunt (1)
Diuitijs cumulare suos, inopesque leuare
Effusis opibus.
*Ga.* Si non hæc vana feruntur,
Quærendus nobis summis conatibus hic est.
*Isac.* Quod nobis erat in votis, Deus attulit vltrò.
Ecce tubas video, video procedere longo
Ordine lictores:ipse est,quem quærimus,ipse est.

SCE-

1 *Multiplicabit gloriam, & dabit suis potestatem in multis,& terram diuidet gratuito* Daniel. 11.

## SCENA QVARTA.

Redit in ſcenam Antichriſtus.

*Ant.* GAudendũ,Socij eſt! Aſpirãt Numina cęptis.
Ad Græcos Dux miſſus adeſt, & læta reportat.
Sed quid turba inopũ męſto clamore repoſcunt?
*Omnes quatuor* Dexter ades miſeris,pedibuſque,& lumine captos
Auxilio ſolare tuo, mitiſſime Princeps.
*Ant.* Creditis æthereo genitum me ſanguine Chriſtum?
*Omnes.* Credimus.
*Ant.* Accipite,haud dubia quæ mente petiſtis.(1)
*Omnes.* Sole frui tandem,atque optato lumine Cęli
Fas eſt, & firmo veſtigia figere greſſu.
*Mel.* Ouafrũ ſcelus! huic Acheron oppreſſa tenebat
Lumina,tartareoque pedes ſubſtrinxerat aſtu.
Idem etiã ſoluit miſeros, quos ante premebat.
*Ant.* Corripite,& radijs hominem torquete rotarũ.
Ille tuus docuit mentiri talia Ieſus
Aſſuetus plebi, facilique illudere vulgo!
Pauper erat,vitamque dolis,ſtygiaque tueri
Arte potens, ſed me tanti non criminis vllus
Arguerit, qui largus opum, qui plurima forti
Sceptra manu quatio, qui magnos æris aceruos
Effundo in Populos: Tu nunc, fidiſſime Datan,



---

1 *Cuius eſt aduentus ſecundum operationem Satanæ in omni virtute, & ſignis,prodigijs,mendacijs* 2.Theſ.

Aurum, Sardonicas pateras, & pallia circum

*Hic spargitur aurum à Datan.*

Sparge solo, miseræ prædam, & solatia plebi:

*Pop.* O Regē æthereū, & redolentes numine mores

*Ant.* Tu quid ad hæc? An ne hæc vnquam, gessisse Magister

Dicitur ille tuus?

*Melch.* Longè maiora gerebat,

Cum pauit nemore in vasto tot millia vulgi

Solus, & innumeræ suffecit fercula plebi:

Non tamen est largitus opes, non sceptra, nec aurum:

Sæpius illa etenim duro mortalia nexu

Corda premunt, spoliantque bonis cęlestibus: hæc tu,

Hæc largire tuis; neque enim melioribus illos

Diuitijs cumulare potes. Tu munere plebem

Cōcilia, & populos, qui te, & tua iussa sequantur

Argento redime, haudquaquam placitura sine auro.

Iesum quem veneror, non aurum, aut miles in Orbem

Intulit; at morum pietas, delapsaque Cęlo

Prodigia, & vates, & legis diua potestas.

*Ant.* Quanta furit; scopulis Dathan, atque ensibus ora

Tunde viro, luat vt meritas amentia pœnas.

*Melch.* Quò tot fremitus, improbe tortor?

Lætus colaphis expono genas,

Et sanguineis lanianda rotis

Nudata libens pectora trado.

Tu qui placidæ numine dextræ

Fran-

Frangis pelagi, Cœlique minas,
Vim fulmineam frange rotarum,
Et tela feri disijce Regis:
Discat fracta mente Tyrannus
Maiora suis arma vereri.
Discant Solymi, non iure suo
Quales quales fingere Christos.
*Ant.* Abripite,& magica versantem fraude ruinas
Dilacerate feris, lacerumque absumite flammis:
Sed Iubal redit Inachijs festinus ab Argis.
*Iub.* Magnanime ò Princeps,&Hebrææ gloria gẽtis,
Graiorum Antistes multis te lętus ab annis
Accipit optatum, & dextras coniungit amicas.
*Ant.* Gratulor: Ausa Deus cursu fortunet eodem
Cætera: Tu, Caynam,geminis incisa tabellis
Præcepta,& Cœlo demissas accipe leges,
Et celer euulga in populos, qui legibus istis
Parere abnuerint,facibus, ferroque peremptos
Demittas Erebo.

## SCENA QVINTA.

*Christus, Raphael.*

*Chr.* VOlucres celer excute pennas
In nemus Elisium,Raphael,placidosque recessus,
Seruat vbi incolumes felix mihi collis ab æuo
Thesbitemque senem, atque annis iuuenilibus Enoch,
Ioannemque, meas qui leges,facta, laboresque
In tabulas retulit,misitque in sæcla nepotum.

Hos nemus aerium, dulcesque relinquere sedes
Admoneas: vitam repetant, curasque priores.
Et contra stygiæ scelera,& noua crimina pestis,
Testentur vulgo in cunctas mea nomina gentes.
Ad superos illis demum via facta patebit
Per gladios.

*Raph.* Subeo imperia, & per nubila cursum
Corripio.

## SCENA SEXTA.

Postquam ad Paradisum peruenit Raphael,
clamat ad tres Prophetas.

*Raphael, Enoc, Elias, Ioannes.*

O Clarum Iubar,& tria lumina mundi,
Ostia felicis Raphaeli pandite syluæ.

*Eno.* Lætus ades superæ decus haud ignobile gẽtis.
Quæ tibi causæ viæ?

*Raph.* Cœli qui sidera torquet,
Vos iubet è nemore, ac lætis excedere campis:
Venit summa dies, veteres qua voluere casus,
Antiquosque opus est iterum superare labores.
Extrema illa lues haudquaquã incognita vobis
Iam pridem furit,& latè bacchatur in orbem.
Hoc lethale malum, reliquas ne serpat in oras,
Comprimite, & populis infandam auertite pestem.
Sed ferro subiget vos postquã in fata Tyrannus,
Vltima stat vestro requies, pretiumque labori.

*Eno.* Quæ tibi, qui nutu terras, cœlumq; profundũ

Ex-

Excutis, æqua ſatis nunc eſt pro munere tanto
Gratia? quod fido, ac memori de pectore nunquam
Excidimus tibi, qui noſtras defendere terras
Auxilio, dextraque paras, Regemque ſuperbum
Imbelli frænare manu. Tu dexter in omnes
Euentus ades, & dubijs ne deſice rebus.

*Ioa.* Mene etiam ſocium ſummis adiungere rebus
Chriſte, potes? Tāto famulum dignaris honore?
Adſum: tu quæcumque velis, caſumque, laboremque
Obijce.

*Eli.* Iam tandem pro relligione tuenda
Bella iubes optata Deus: certamina lætus
Ingredior, ſæuos aſſuetus víncere Reges.
Auſpice te nūc in medium, mora nulla, ruamus
O ſocij: in primis horrenti membra cucullo
Noſtra premi decet, & fędari puluere crines (1)
Corripiamus iter. Diuûm Pater auſa ſecundet.

## SCENA SEPTIMA.

Populus Prophetas veneratur.

*Nautan, & Ruben Iudæi.*

*Naut.* QVod genus hoc hominum, quę nām hæc hærentia dorſo
Carbaſa? quæ triſtis macies? quis pallor in ore?



1 *Prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta amicti ſaccis*, Apoc. c. 11.

*Elias.* I celer,& totam effuso clamore per vrbem
Huc ciues, matresque voca. Dic, æthere ab alto
Aduenisse viros, Superùm mandata ferentes.
*Naut.* Qua vos gente satos referam? quo nomine dictos!
Tẽporis haud huius, sed priscæ ætatis alumnos?
*Elias.* Thesbites ego sum.
*Enoch.* Longæuum iunior ipse
Matusalem genui.
*Ioan.* Zebedæi ego filius alter,
Quem proles veneranda Dei magis omnibus vnum
Dilexit, fouitque sinu.
*Naut.* Proh qualia Diuûm
Nomina! diriguit trepida formidine pectus.
Huc huc effusi certatim accurrite ciues,
Huc pueri, trepidique senes, huc quicquid in vrbe est.
*Ruben.* Quid rerum est? quo nos tantis vlulatibus vrges?
*Naut.* Admiranda fero, seclisque incognita nostris.
Vidi ego cælestes animos, æuique prioris
Heroes: vidi maciem, squalentiaque ora.
Ecce adsunt.
*Elias.* Solymi ó ciues quid mentibus hæret
Attonitus stupor, & dubiæ sub pectore curæ?
Hæbræi sumus, & priscorum ex ordine vatum,
Quos toties Deus in perituri funere mundi
Mittendos iterum vobis, iterumque videndos
Promisit: nos diuinæ tria tempora legis
Emensi triplici vitas æquauimus æuo.
*Ruben.* O vatum decus, ó prisci clarissima secli
Lumi-

Lumina saluete, & pedibus date figere vestris
Oscula.

*Enoch.* Nequaquam, ó socij: mortalia nondum
Aut membra, aut vitia exuimus: deflere ruinas
Venimus, hebræasque vices; aduertite mentem.
Quæ vos Tisiphone, qui vos furor impius egit,
Nescio quem generi Iudæo adsciscere Regem,
Atque hunc dignari solio Dauidis, & aula?
Huic adolere focos, huic victas tendere palmas?
Cęlicolum ille parens, & qui regit omnia, multis
Misit ab hinc annis fœcunda ex Virgine Christum:
Vos illum oppressumque dolis, & crimine falso,
Pallidaque informi suffixum brachia trunco,
Militibus sæua lacerandum morte dedistis.
Heu scelus, heu rabiem insanam! non tãta vereri
Numina? non ora, & sacros horrescere vultus?
Non vestro generi, ciui non parcere vestro?
Testor ego Superos, & cœli conscia testor
Numina, non alium vobis in sæcula Christum
Mitteudum, nec vos aliam sperare salutem.
Vos iuga quæ superi maduistis sanguine Regis
Imploro: vos vos excusso pondere montes
Intremite, atque meis nutanti vertice dictis
Annuite.

*Pop. Iud.* Heu miseri quænam fuga tuta manebit?

*Enoch.* Quò gemitus, quòue hic præceps vlulatus ad aures?

*Pop.* Pęnitet heu scelerum. Parce, ò Sanctissime Iudex.

*Elias.* Nil agitis: grauis hæret adhuc sub pectore tabes

Nec dum animis exempta lues. O ferrea gentis
Corda? nec exitijs domita,aut terroribus vllis.
Vobis missa salus fuerat:per vestra vagatus (1)
Arua Deus, prolesque Dei, vos prima decebant
Iura in cœlicolum sedes, & Regna piorum.
Sed vos & scelus,& Christi turpissima cædes.
His mersere malis, & fatis debita vestris
Sceptra nouis iam sunt transcribi iussa colonis.
Victrices aquilas Princeps Romanus in vrbem
Intulit, infesto populatus milite turres:
Rapta quies populo,sublati Regis honores,
Templa æquata solo, fœdéque excussa verendis
Sacra focis: & qui Christi non sceptra tulistis
Vnius, innumeris vos nunc fortuna fatigat
Imperijs: quænam tolerari funera possunt,
Quæ fingi grauiora? nec vnquam optata dabuntur
Ocia;ni Regem,cui sceptra dedistis inermes,
Vestra manus iugulet,perdatq; in tartara sontē.
Tu Pater Indigetum,qui torques omnia certo
Numine, tu præsens vera hæc,quæcumque monemus (2)
Numinibus testare tuis:nunc nubibus ignes
Excute,nunc auras flammanti diuide telo.
*Populus.* Vrimur infœlix vulgus: volat ocyor euro
Flamma rapax: heu siste faces,& fulmína vates.

*Ioann.* Par-

---

1 *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ ecce conuertimur ad gentes.* Act. 13.

2 *Si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum & deuorabit inimicos eorum: habent potestatē percutere terrā omni plaga quotiescumque voluerint* Apoc. 11.

*Ioan.* Parcimus: absistant flammæ, miserescimus
vltrò.
Iam tandem scelus antiquum, veteremque
furorem
Oderitis, veniam dabit idem Rector olympi,
Quem vos effuso temerastis sanguine Nati.
Illum ego funesto vidi sub colle trahentem
Difficiles obitus, indigno vulnere vidi
Transadigi latus, & lacerari cuspide palmas.
Immeritosq;pedes.O nũquam audita parentum
Vestrorum rabies, & inexaturabile pectus,
Quod non relligio,aut pietas innoxia Christi,
Non casti monitus,non tot miracula rerum,
Non & pęnarum victrix patientia fregit.
Sed vos,ò diuùm soboles,meliora sequuti
Consilia,atque animos, maiorum facta piate,
Atque in monte, crucem qui Christo erexit,
eidem
Instaurate focos.
*Pop.* Sequimur, quocumque vocatis.

## SCENA OCTAVA.

Abeuntibus tribus Prophetis, & Populo post eos, quam primùm Zarham Dux Antichristi rem totam ei nunciat.

*Zaran, Antichristus.*

*Zar.* O Lux terrarum, Rex ò sate sanguine diuũ
Tres dudum styx atra viros (vt credere
fas est)

Edidit

Edidit in lucem, nulli ante hæc tempora visos.
Hi maiora tuis hebrææ numjna plebi
Euulgant, legesque tuas, atque acta reuellunt.
*Ant.* Pone metum, Zarhan, vosque istam mittite curam:
Mecum erit iste labor: lunatis agmina peltis
Coge, Saleph; atque in triuijs, totamque per vrbem
Quæsitos huc siste viros.

## CHORVS SYBILLARVM.

HEV, quis armorum furor in Tyranno est?
Sæuit intorto similis colubro,
Inque diuorum iugulos ab alta
Sibilat arce.
Cur datum monstro lacerare diuos?
Cæde cur vatum temerare dextram?
Magne cur rerum sator in tuorum
Funere cessas?
Plura sed posthac minimè licebunt
Sontibus: cedes furor impiorum
Victus, & pones male vendicatas
Orbis habenas.
Iam satis longo rabies nocentum
In mare, & terras dominatur æuo.
Nunc Deus fontes Erebo cohercens
Sceptra reposcet.
Ipse, qui ferro est populatus aras,
Cœde qui diuûm scelerauit enses,
Cœlitum longè meliore dextra
Concidet ictus.

Or-

Orbis in ſontes, ſcelerumque pœnas
Mugiet: iam iam reboabit imis
Sedibus ponti fragor, & rubeſcent
Sanguine fontes.
Frugibus raptis viduabit auſter
Arua; nutabit tremefacta tellus:
Decident colles, valida fatiſcent
Grāndine ſyluæ.
Horridus crebris facibus tonabit,
Et dabit nimbos pluuioſus æther:
Atra nox cęlum, rutiloſque cœli
Occulet ignes.
At ruent ignes alij per orbem,
Queis mare, & tellus putris in fauillam
Concident; has has meruere clades
Facta nocentum.

# ACTVS III.

## SCENA PRIMA.

Saleph vinctos Prophetas ſiſtit Antichriſto.

*Saleph Dux Antichriſti.*

*Antichriſtus, Enoch, Elias, Ioannes Euang.*

*Sal.* EN tibi, Rex inuicte, viros ante oſtia templi
Deprenſos, magna in plebis patrumque corona.

*Ant.* Tan-

*Ant.* Tantane vestrarum vobis fiducia rerum est?
Non veriti infensis mea facta ac numina dictis
Carpere? non plebem tanto miscere tumultu?
Vos ausi, vos arte noua mutabile vulgus
pellicere?
*Elias.* Haudquaquam moliri talia mens est.
Quam tu ipse intuleras potius depellere pestem
Venimus.
*Ant.* His credo promissis pectora vulgi
Mulcetis: sic & laudem captatis, & auram.
*Enoch.* Ista quidem tua sint, his tu lætare repertis.
Nos victu exiguo, & rudibus per mēbra lacernis
Contentos, non hæc vexat scelerata cupido,
Iesum nos potius cęli, terræque potentem,
Tu cuius delere paras, ac tollere nomen,
Quærimus: huic laudes canimus, Solymamque
per vrbem
Illius æthereas leges, ac iura tuemur.
*Ant.* Gratulor hunc equidem vobis placuisse Magistrum;
Non vos degeneres, vestræ neq; Principe gentis
Esse sinam indignos: eadem fortuna, luesque
Stat vobis, eademque manent suspendia trunci.
*Elia.* An sors, an fatum nobis optatius vllum est?
Quàm venerāda sacripendere ad brachia ligni?
In quo Rex hominum, & nostræ spes fida salutis
Nos scelerum exoluit vinclis, & Tartara fregit.
*Ant.* Exoluit ne alios, domuit quem stipite vinctum
Tortor, & inuitum? Qualem, proh numina,
Christum
Fingitis imbellem, lacerum, sine viribus vllis,
Consilijque inopem.

*Enoch.* Quam

*Enoch.* Quam rectè oracula Vatum
Nota tibi? Quænã monumenta, ac dicta priorum
Non his plena malis? non Christo tota vetusta s
Pauperiem, clades, cędemq: & vincla minatur?
*Ioann.* Inuitum domuit tortor? cui talia narras?
Cui mentiris? habes, qui te, & tua dicta refellat,
Ipse ego tunc aderam præsens, ipse omnia certis
Hausi oculis; potuit tantos adijsse labores
Inuitus? Quem non Solyma reuocauit ab vrbe
E socijs vllus in funera certa ruentem?
Quem nobis toties cædis loca, tempora, morem [1]
Carnificumque genus memini prædicere, & illũ
Quo versante dolos scelerato proditus hosti est!
Voce sua quoties cessantem in vincla cohortem
Hortatus? quoties armatos fudit inermis!
*Ant.* Si fuit ille Deus, non cæde, aut sanguine fuso
Indiguit; nutu, aut dextra fregisset Auernum
E reptosque homines cęli in supera alta tulisset.
*Elias.* Æquo iure Deus, quã dextra, aut viribus vti
Maluit: id melius: neque lex diuina ferebat
Conscelerata hominum sine pęnis facta piari.
Pignora sic nostræ multo maiora salutis
Attulit, & magnum erga homines testatus amorem est.
*Ant.* Vana canis: festi potius temerata diei
Relligio his illum pœnis, & funere mersit.
*Enoch.* An vetuisse Deum festis benefacta diebus,
Stulte, putas? Fas est pecudem seruare ruentem,
Non hominem? Quod si meritas pro crimine pęnas

Ille

1 *Oportebat eum ire Hierosolymam &c.* Matt. 16.

Ille dedit, cur hanc cędem non passus inultam
Omnipotens Deus? Infandis cur stragibus vrbē
Diripuit?

*Ant.* Non latronis dignissima cædes
Excidio fuit: at vires, & dextera gentis
Romuleæ.

*Ioann.* Cur non fessæ Deus adfuit vrbi?
Ille suos nunquam vexari hostilibus armis,
Exitijsque tulit, magno nisi crimine læsus;
Hebræos primum impietas fraterna subegit
Exiliumque pati, & Pharias descendere in oras.
Aureus in syluis vitulus quot funera iusto
Ense dedit nemore in vasto: tum tertia clades
Ingruit ex acie Assyria pro sanguine vatum;
Quarta lues hæc est, qua non immanior vnquam
Vlla fuit: non hæc equidem sine numine Diuùm.

*Ant.* Hoc ipsum excidium illius mendacia damnat,
Ridiculamque fidem: templi reparare ruinas
Spondebat: Quæ vos iterum delubra videtis
Surgere? (1)

*Elias.* Post triduum sospes sua membra recepit;
Hæc etenim delubra sibi instauranda canebat,
Non ex cœmentis, aut secto marmore molem.

*Ant.* Anne hæc in triuijs narras! non ille reuixit,
A Patre qui moriens dura se in morte relictum
Clamabat.

*Eneb.* Recte est. Pater illum nostra luentem
Crimina deseruit; lacero sed corpore postquam
Expendit scelerum pœnas, & pace sequestra
Hu-

—1 *Soluite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Ioann. 2.

Humanis supera,& terras coniunxit Olympo,
Dignus honos illi stabat, mansuraque vitæ
Præmia.

*Ioan.* Quin etiam lueret dum funera cœdis,
Non illum penitus Pater alto à culmine cœli
Destituit: subita rapuit caligine solem',
Emisit tumulis cineres,terramque labantem
Excussit,scidit & magni sacra lintea templi,
Prodigijsque alijs miseranda in morte dolorem
Testatus, tandem vitæ ad meliora vocauit
Munera, quem sæuo lacerandum liquerat hosti.

*Ant.* Si vitæ incolumis,supero si redditus orbi est,
Cur non & populis rediuiuo in corpore visus?
Cur non spectandum se se dedit ille per vrbes?
Sic facto manifesta fides,ac fama perennis
Accessura fuit.

*Elias*: Non hæc spectacula vulgo
Præbēda,aut totum fuerāt vulganda per orbem.
Staret certa fides,meritę sed munere laudis,
Et pretio caritura fuit; non corpore corpus (1)
Viderunt Solymi,at si mens non læua fuisset
Numina viuentis poterant agnoscere Christi;
Vertice de cœli se præbuit ille videndum,
Cum resides animos, & inertia corda suorum
Egit in aduersos firmato pectore Reges.
Quis populos, domitumq; vnius legibus orbem
Supposuit? cui Roma caput,sedemque verēdam
Imperij, & Latio deuictas milite gentes
Submisit? Quid tot referam miracula rerum
Edita per populos,per templa,& strata viarum?

*Ant.* Non

1 *Non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo.* Apo. 10.


*Ant.* Non equidem inuideo; longè maioribus ausis
Insignis fortuna mea est; si prælia iactas,
Si domitas vrbes, quæ gens tam barbara vires
Non experta meas? memoras si sparsa per vrbes
Prodigia; hæc sedes, hæc templa, hæc compita circum
Prodigijs sunt plena meis.
*Elias.* Tu mœnia ferro
Deijcis: agminibus aduersis agmina fundis:
Et telis in tela ruis. Verùm ille nec armis
Arma, nec infensas infenso milite turmas
Insequitur: populos & Reges ductor inermis
Edomuit. Sed adhuc potuisti fingere demens
Prodigia, hęc nobis cur non spectantibus audes?
*Ant.* Nil moror, huc hominem exanguem, phere-troque iacentem
Sistite: quæ mea sint videatis numina faxo.
Quisquis es, ò Iuuenis, loculo miserabile corpus
Tolle celer.
*Elias.* Procumbit adhuc: maiore vocandus
Voce fuit.
*Ant.* Non dum clamantis numine Christi
Membra leuas, quicumque iaces?
*Elias.* Huc lumina, ciues,
Huc oculos, iam fas simulatū agnoscere numen.
Iam patuere doli.
*Ant.* Vos immedicabile virus
Eumenidum, vos & stygij portenta Tyranni,
Arcetis magico redeuntem carmine vitam.
Non impune quidem: vestro commissa luetis
San-

Sanguine; Gamaliel, iugulos, & colla ſecuri
Percute; dediſcant rapta ceruice furorem.
*Elias* Nil agis: hæc nobis requies, hæc tempora longo
Exoptata die; ſed non moriemur inulti.
Nec te longa manent ſceleratæ gaudia cœdis.
Enſe, miſer, grauiore cades.
*Ant.* Pertundite ſontes
Verberibus, lacerate genas, impellite palmis,
Comprimite os rabidum, capulis vrgete molares.

Canunt morituri.

*Enoch, Helias, & Ioannes.*

QVas tibi laudes meritas canemus
Magne terrarum, Pelagique Rector,
Qui iubes noſtræ diuturnæ vitæ
Vincula ſolui.
Iam diem profers toties vocatam,
Et modum longo ſtatuis labori:
Iam tuis noſtros iugulos ſecuris
Immolat aris.
Tu pater diuûm, tibi quas ſacramus
Victimas noſtro madidas cruore
Accipe, & feſſos refer in perennis
Ocia Regni.



## SCENA SECVNDA.

Edictum post obtruncationem Prophetarum
*Laynam*.

AVdite ò Solymi Ciues: non audeat vllus
Corpora cæsa virū medijs de sedibus vrbis
Tollere, sed rapidis iaceant inhumata ferarum
Morsibus: id summus domiti Rex imperat
Orbis.

## SCENA TERTIA.

Antichristus ante cadauera inhumata ambulans, superbè gloriatur ac furit.

*Antichristus, Zorobabel.*

*Ant.* ERgo sustulimus stygiam spirātia tabem
Monstra virùm, miseroque infanda excussimus Orbi
Seruitia; ad nostras tandem cecidere secures
Indociles iuga ferre animi: iacet improba ceruix. (1)
Nunc

1 *Cum finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendit de abysso, faciet aduersum eos bellum, & occidet eos, corpora eorum iacebunt in plateis.* Apoc. 11. *Et post dies tres, & dimidium spiritus vitæ à Deo intrauit in eos, & steterunt super pedes suos, & timor magnus cecidit super eos qui viderunt eos, & ascenderunt in Cælū innube, & viderunt illos inimici eorū, & in illa hora factus est terræmotus magnus.* Apoc. 11.

Nunc etiam cineri iuuat insultare nocentum.
Zorobabel dextram loris accinctus, & hasta
Aggredere exanimes,& corpora tunde flagellis.
*Zorob.* Verbere sed primo, mirum, tremit excita tellus.
Attollunt capita exanimes, dorsoque lacernas
Reijciunt: en iam candenti nube coruscant,
Et cœli in supera alta volant. Quas æthere summo
Deuoluent in tecta faces? quæ funera nimbis
Perque domos,perque arua dabunt? Spes nulla salutis:
Præcipitate fugam sub saxa, & lustra ferarum.

## SCENA QVARTA.

### HYMNVS

*Enoch, Eliæ, Ioannis Euang. Ascendentium in Cœlum.*

AD te, perenne gaudium,
Rerumque summus Artifex
Cursum per auras tendimus
Læti trophæis hostium.
En fracta tortorum manus:
Pallet Tyrannus impotens:
Durus cohorret carnifex:
Fusi per arua milites.
Mens, vis, furor mortalium
Sunt læua, si pugnent Deo.
Ergo ima summis pareant;
Terris Olympus imperet.

## SCENA QVINTA.

Antichristus occiditur.

*Antichristus, Michael.*

*Ant.* QVO ruitis, quò terga metus palantia vertit?
Quos fugitis? cæsos ne viros, vestraque peremptos
Cuspide? quid? vestris potius terroribus acti
Diffugiunt illi, & caput inter nubila condunt.
Nequiquā petiere fugam, liquidūq: per orbem
Insuetas iniere vias. Ipse, ipse volatu
Astra petam, & fontes librati fulminis ictu
Diripiam in terras: iuuat hunc conscendere montem
O socij: ferar hinc tenues sublimis in auras.
*Mich.* Quò demens iter infaustum, quò tendere cursum,
Monstrum immane, paras; non sunt, non debita factis
Astra tuis, non hos cursus tentare necesse est:
Iam telum fatale vides, hastamq; minantem (1)
Infando capiti exitium: nunc contrahe quicquid
Siue animis, siue arte vales: non viribus vllis
Eripiere mihi.

*Ant.*

1 *Quem Dominus Iesus interficiet Spiritu oris sui* Thess. 2.
*Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Isai. 2.

*Ant.* Merui, atque hæc funera demens
Non indigna luam: tu noſtras, ſi qua poteſtas
Parcendi, miſerare vices.
*Mich.* Iſtam exue mentem:
Vltima ſtat tibi ſors, & ineuitabile fatum;
Iam quem Chriſtigenũ ſparſiſti ſanguine montem,
Hunc metire iacens.

## SCENA SEXTA.

### Iudæi Chriſtum agnoſcunt.

*Eleazarus ſummus Sacerdos Iudæorum ad Ciues.*


*Eleaz.* LAceras abrumpite veſtes,
Nunc Hebrea cohors. Temerati Numinis iras
Agnoſco. Quam longa animos amentia noſtros
Deluſit, quàm nos cæcis erroribus acti
Per noctem, & tenebras tam multos duximus annos?
Ille quidem, nec me diuina oracula fallunt,
Relligione potens, & claro nomine Ieſus,
Chriſtus erat, quem vera Dei præcepta ferentẽ
Noſtra dedit letho fatorum ignara vetuſtas.
Hoc modo Thesbites, hoc nobis conſcius Enoch
Rettulerant: hoc & profuſo ſauguine dudum
Sanxerunt: quæ nos male ſanos egit Erynnis,
Hanc rabidam peſtem templis adſcire, focisque?
Tollite vipeream tabem, & lethale cadauer,
Alitibus prędam gemino ſuffigite trunco.
At nos interea fuſi per templa, per aras,

Carmine placemus Superos, veniamque precemur.

## SCENA SEPTIMA.

Cantus Populi supplicantis.

PArce, qui cœli moderaris arces,
Parce, neu dignis quatias nocentes
Cladibus: iustas pietas, rogamus,
Lenias iras.
Aspice ante aras populum gementem:
Aspice effusas laceris puellas
Crinibus; vinci patiare tandem
Supplice vulgo.
Id rogant mæsto gemitu parentes,
A quibus nostri generis propago est:
Sancta maiorum pietas nepotes
Crimine soluat.
Tu Patris summi veneranda Proles
Immemor tandem Solymi furoris
Parce, & antiquę redeant, precamur,
Fœdera Pacis.
Nostra te ferro temerauit audax
Dextra: tu nostrum facinus piabis:
Tollat Hebræum scelus ille manans
Ex cruce sanguis.



## SCENA OCTAVA.

Christus è cœlo iubet effundi phialas
iræ suæ.

*Christus, & septem Angeli Melchiel, Iabel, Iessiel, Nataliel, Israel, Camuel, Daniel.*

*Gad, Sephron.*

*Chris.* PArcimus Hebræo generi: sed plurima plebes
Per terras reliqua est, quæ tot deterrita nondũ
Prodigijs, insanit adhuc. & nostra lacessit
Numina, nec Superùm didicit mitescere donis,
Non prece non monitis; sed adhuc furor impius hæret
Mentibus, & cæcæ gliscit violentia plebis.
Audendum ferro est, & quos nec dona, nec vllus (1)
Vicit amor, vincant effusis cladibus iræ,
Nunc age: Cœlicolæ supremo ex ordine septem,
Horrendis totidem phialis armate lacertos,
Et nostrum in maria, in cœlum, terrasque furorem



---

1 *Et vidi aliud signum in Cœlo magnum & mirabile Angelos septem habentes plagas septẽ nouissimas* Apoc. 15.

2 *Et audiui vocem magnam de Templo dicentem septẽ Angelis: ite & effundite septem phialas iræ Dei in terram* Apoc. 16.

Spargite: nunc populis, quicquid feritatis vbique est,
Mittite, nunc totis in vulnera viribus ite,
*Mel.* Paremus. Nunc, ò socij, torquete per auras
Vltrices phialas.. Miscere ego funera primus
Audeo.
*Gar.* Quid crepuere tubæ, quis tantus ab alto
Dissultat fragor? en phiala candente minacem
Cœlicolam.
*Mel.* O quot quot coluistis numina pestis
Gorgoneæ, & geritis lethęi insignia Monstri,
Vobis hanc phialam excutio, vos hęc mea clades (1)
Opprimet; exustis serpat vis ignea venis.
Arescat iecur, & circum præcordia sanguis
Aestuet, atque imas populetur flāma medullas.
*Gar.* Heu heu, quis nostris tacitum calor implicat ignem
Ossibus? heu pectus flammanti incanduit æstu.
Tubera prorumpunt membris, & corpora tabo
Exuperante tument: cursum rapiamus in vndas
Aequoreas, gelidoque ardentia corpora ponto
Mergamus.
*Iabel* Iubeo fluctus, vndęque rubescant, (2)
Purpu-

---

1 *Et primus effudit phialam suam in terram, & factus est vulnus sæuum, & pessimum in homines, qui habebant characterem bestiæ & in eos, qui adorauerunt imaginem eius.* Apoc. 16.

2 *Et secundus Angelus effudit phialam suam in mare, factus est sanguis tanquam mortui, & omnis anima viuens mortua est in mari.* Apoc. 16.

Purpureuſque eruor vaſtum ſe fundat in æquor:
Iactati piſces media moriantur arena;
Horriſonos tollat fremitus, & murmure ſæuo
Mugiat vnda maris, voluatque ad ſidera fluctus.

*Seph.* Non hæc tuta fuga eſt; pelagus de ſedibus imis
Conuulſum reſonat:fugiendũ ad flumina, ciues.

*Ieſ.* Nunc ò Terrarum Domini, Regeſque luendũ
Quicquid ſæuitum in Vates, & corpora Diuûm eſt.
Hæc vobis phiala inficiat pro cæde piorum (1)
Puniceos amnes, & ſparſos ſanguine riuos.

*Gai.* Heu miſeris.Quonam fluuij rubuere veneno?
Vnde cruor lymphis,quæ tinxit purpura fontes?
Quas potemus aquas? quo ſiccis faucibus hærens
Fonte leuanda ſitis?

*Nat.* Qui mundum lumine comples,
Phæbe, tuo, hanc phialam æſtiuo feruore calentem (2)
Accipe: flammeſcant radijs ardentia circum
Arua tuis, iaceantque ambuſta animantia campis.

*Gad.*

---

1 *Et tertius effudit phialam ſuam ſuper flumina, & ſuper fontes aquarum, & factus eſt ſanguis* Apoc.16.
*Quia ſanguinem Sanctorum, & Prophetarum effuderũt & ſanguinem eis dediſti bibere: digni enim ſunt. ibidem*

2 *Et quartus Angelus effudit phialam ſuam in Solem, & datum eſt illi æſtu affligere homines, & igni, & æſtuauerunt homines æſtu magno, & blaſphemauerunt nomen Dei.* Apoc.16.

*Gad.* Vrimur : immittit funesta incendia Titan.
Heu heu, quis tantos effusis fluctibus ignes
Abluat oceanus? nec syluæ, aut montis asylum
est
Vllius:arescunt nemora ab radicibus imis,
Arboribusque comæ desunt, & collibus vmbræ.
Crudelem ò Superûm rabiem, atque immania
corda.
Cur non arcetis radios, Phœbique parentis
Lumina? candentem cur non defenditis æstum?
Si nil effugij est ægris, nec sæua mouentur
Numina, iactato turpemus puluere solem (1)
*Israel* Hæc phiala in solium,quod dudum insederat
Orci
Bellua,missa ruat, fumoque & nubibus auras
Occupet
*Sephron* Heu quantus piceum vapor aera turbat?
Tolluntur nebulæ è stagnis, & nubila mittit
Pigra palus:hæc tu,Galilęe,immittis in orbem
Funera, sed quæcumque velis, circumque su-
praque
Sæuieris,rapido discerpere brachia morsu
Maluimus, & lacerare genas, quàm reddere
templis
Thura tuis. Nequicquam his nos terroribus
vrges.
*Camuel* Hæc phiala Euphratis tumidas exhauriat
vndas,

Per

1 *Quintus Angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ, & factum est eius regnum tenebrosum,& commanducauerunt linguas præ dolore & blasphemauerunt Deum* Apoc. 16.

Per vada iurati coeant in prælia Reges. (1)
Marte fremant populi, ſpumantique orbis inundet
Sanguine, nec capiant effuſa cadauera campi.
*Arad.* Erupere acies: prohquæ certamina miſcent,
Aera micant, reſonant clypei, furit enſis in hoſtem:
Nec mora, nec requies in mutua vulnera ferro eſt.
*Ban.* Vltimus hanc phialam quatio, cœlumque procellis
Miſceo: præcipitent cõmixta grandine nimbi (2)
Subſidant montes, tellus exterrita colles
Decutiat, raptæ iaculentur fulmina nubes.
Ad terram cadite ò ſocij, terramque trementem
Immota prenſate manu: iuga ſumma moueri,
Aequarique ſolo colles, & tecta videtis?
Ingeminant ignes, rapiuntque per aera curſum
Fulmina: quæ miſeris nemora, aut ſpelea ferarum
Tuta ſatis? quid adhuc ſupereſt? ruit horrida grando.

Qualis

1 *Et ſextus Angelus effudit phialam ſuam in flumen illud magnum Euphratem & ſiccauit aquam eius, vt præpararetur via regibus ab ortu ſolis,* cap. 16.

2 *Et ſeptimus Angelus effudit phialam ſuam in aerē & exiuit vox magna de templo à throno dicens: Factum eſt, & facta ſunt fulgura, & voces, & tonitrua & terræmotus factus eſt magnus, qualis nũquam fuit, ex quo homines fuerunt ſuper terram: talis terræmotus ſic magnus, & montes non ſunt inuenti: & grando magna ſicut talentum deſcendit,* Apoc. 16.

Qualis non Siculis vnquam furit Aetna caminis
Candentes iaculata globos, ramosque, comasque
Agrorum, nemorumque rapit. Quæ tegmina nobis
Sunt reliqua? vmbones clypeorum & scuta lacertis
Erigite: & peltas venienti obtendite nimbo.
Nequicquam, Galilęe, furis, si corpora tundis,
Non animos.

*Phinees* Rabidis, socij, ne talia linguis
Audete in superos. Quem diro incessitis ore,
Christi numen habet: non ipsum hæc funera Christum
Esse probant? non ille aliter tot cladibus vrbes
Verteret, hic certe fatalem nunciat orbi
Interitum: monet & lacrymis commissa piemus.

## SCENA NONA.

Puer fame enectus cibum á matre petit

*Cocles puer, Delia mater.*

*Cocl.* O Quam dira fames: prębe ientacula mater
Frigida membra labant, nato succurre cadenti. (1)

*Del.*

1 *Erunt pestilentiæ & fames.* Matt. 24.

*Del.* Graudine decussæ fruges, populatus aristas
Nimbus, vípereo turbati sanguine fontes,
Lapsa domus, plena exitijs, plena omnia luctu.
Quam tibi mater opem, tantis concussa periclis,
Nate, ferat? quó se vertat, quæ numina demens
Imploret? si, nate, iuuat, populare parentis
Membra tuę, & nostras discerpe in fercula carnes.

## SCENA DECIMA.

Ariel Angelus á Deo missus Eclypsim parit omnium luminum Cœli.

*Ariel, Phinees vir popularis*

*Ariel.* SIdera quę vario stellantem pingitis orbē
Lumine, non vltra fulgere ex sedibus altis
Fas erit, aut terras agitare, elementaque vestris (1)
Viribus: è cœli celsa regione cadendum est.
Tuque etiam decus astrorum, tu noctis opacæ,
Vmbrarumque potens, ferali sanguine vultus
Infice, Luna, tuos. Tuque ò iubar ætheris aureum,
Cui menses, annique vices, cui secula currunt
Con-

1 *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de Cœlo.* Matt. 24.

Contrahe, Phœbe, comas, quibus aureus omnia lustras:
Hæc tibi meta viæ est, fessas iam solue quadrigas
*Phin.* O noctē subitā, ò stygiæ primordia noctis,
Hæc rerum suprema dies, hic tempora sistent.
Nos, nos tam vario rerum natura tumultu
Deplorat, nostrasque vices, & funera deflet.
O socij, magnum tellus excussa dolorem
Testatur, refluis plangóribus æquora lugent,
Et geminat rapidos æther pro fletibus imbres:
Sol etiam nostras non passus cernere clades
Inuoluit nitidos atra ferrugine currus.
Astra ruunt, elementa gemunt; nunc vltima rerū
Eluuies, mundi moles agitáta fatiscit
Exitijs; & fessa suo natura laborat.
Nunc passas lacerate comas, & pectora matres,
Nunc vlulent pueri: nunc prono corpore fusi
Rumpamus querulos mæsto de pectore luctus.

## SCENA VNDECIMA.

Michael imperat morti, vt omne metat hominum genus.

*Michael, Sephron.*

O Qui fulmineam versas ex æthere falcem
Non iam maturas æstiuo puluere messes [1]
Aspicis

---

1 *Et alius Angelus exiuit de templo clamans voce magna ad sedentem super nubem: mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora, vt metatur, quoniam aruit messis terræ.* Apoc. 14.


Aſpicis, & grauidas curuato palmite vites?
Eia adhibe circum falcem flauentibus agris,
Et tempeſtiuas incumbens demete fruges.
At vos,ó ſocij, flammarum quicquid vbique eſt,
Seu ſilicum in venis lateant, ſeu per caua currant
Nubila, ſeu gliſcant montani e ſulphuris æſtu,
Huc legite, & toti iactate incendia mundo.
Ipſe celer ſiſtam firmato cardine cęlum.
Orbes qui rapidum per longa volumina tempus
Ducitis,híc volucres motus,híc ponite cursū.
Hæc ſuprema quies vobis, hæc meta laborum.
Nunc, nunc, ò ſocij, torquete è nubibus ígnes
Nunc mare, nunc tellus, rutiluſque incandeat æther.
*Sep.* Diffugite, ó miſeri, in latebras, cęlum omne coruſcat:
Heu heu nulla fuga eſt, collucent omnia flammis.

## CHORVS ANGELORVM.

TRagico tecti ſyrmate Coelites
Hominum generi damus inferias:
Fataque populis vltima paſſis
Canimus triſti carmine nænias.
Hæc loca quondam pinguia frugibus
Gelida circum fronde virebant:
Vernabat humus candida lilijs
Spirante per hæc rura fauonio.
Hic belligeras alta per vrbes
Steterant celſis męnia pinnis,

Hic

Hic ſparſa crocis atria Regum,
Molleſque thoris mollibus aulæ.
Nunc præcipiti turbine rerum
Ambuſta iacent omnia flammis,
Luridus agros fumus obumbrat,
Cinereſque ducum cineres incubant.
Viduata gemunt arua colonis.
Telluſque ſuos plorat alumnos.
Hominum queſtus funera Titan
Caput horrenti condidit vmbra.
Heu gens hominum cognata Deo,
Et præſidijs credita noſtris,
Heu quam ſubitis cladibus occidit:
Et fuſa dedit corpora campis.
Nullus ſupereſt incola terræ,
Sibi qui vacuas arroget arces,
Quique relictas occupet vrbes,
Ex innumera gente ſuperſtes.
Nullus adeſt qui ſparſa legat,
Condatque pius membra ſepúlchris;
Genuit populos, aluitque dies
Non vna, dies vna peremit.
Iſta ſit vtinam ſumma malorum;
Nec mors iterum ſæuior inſtet;
Nec quam peperit mors vna luem
Altera longo nutriat æuo.



ACTVS

# ACTVS IV.

## SCENA PRIMA.

Chriſtus imperat Angelis, vt homines ad vitam reuocent.

*Chriſtus.*

BIs duo Cœlicolæ celeri properate volatu,
Et legite arentes cineres, atque oſſa per orbē,
Quæ tumuli cohibent, vaſto ſeu gurgite pontus
Occulit, aut Zephyri rapuere inhumata per auras, (1)
Seu ſyluis, rapidiſque latent abſorpta ferarum
Viſceribus, ſparſoſque ſuis compagibus artus:
Nectite nunc venas venis, nunc oſſibus oſſa,
Membra iterum membris, neruos componite neruis.
Vos alij in tumulos animas compellite, ſeu quas
Orcus habet, ſeu luſtralis quas expiat ignis,
Seu quas ſub terris infantum carcer obumbrat.
Tu Michael horrentem arcu, pharetraque ſonantem
Mortem inuade manu, vinctamque in tartara merge.



1 *Et mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna, & congregabunt Electos eius à quatuor ventis à ſummis Cælorum, vſque ad terminos eorum.* Matt. 24.

Tu clangore nouo terras, cęlumque profundum
Cōcute,vt horriſonis tremefactæ cornibus vrnæ
Relliquias cinerum,& pallentia corpora reddāt:

## SCENA SECVNDA.

Excitantur Damnati.

*Phedael Angelus, Beelzebub, Hieroboam.*

*Phed.* EVmenidum Princeps ſtridenti cardine portas
Tolle tuas.
*Bel.* Nam quis tantum clamoribus audet?
Vſqueadeone ſibi de noſtris arrogat antris?
*Phe:* Rumpe moras,iam tempus adeſt,quo lancibus æquis
Omnia facta hominū dominator pēſet Olympi.
Solue tuos,pateatque iter infęlicibus vmbris
Ad ſuperos. Quæ tanta mora eſt? ego cuſpide valuas
Deijciam.
*Bel.* Hen, heu, heu.
*Hierob.* Cecidere auulſa Barathri,
Limina;quò miſeri rapimur? cur non datur Orcū
Incolere? aut cur has tenebras, ignemque iubemur
Linquere? non ſatis ad noſtras ſunt Tartara pęnas?
Malumus hic Phlegetonta pati,quā iudicis iras.
Id miſeris (ſi qua eſt pietas) concedere fas eſt.
*Phed.* Vobis non vlla eſt pietas,clementia nulla eſt

Hæc

Hæc quondam patuere ſatis, nunc cladibus horrent
Omnia: ferte gradum celeres Plutonis ab antro.
*Hier.* O lucē inuiſam, ò ſceleris loca conſcia noſtri!
Non & præſtiterat ſtygijs vlulare ſub antris?
Non & inexhauſto torrentes igne caminos
Eumenidaſq; pati? ſed quò properare iubemur?
*Phed.* In tumulos iter eſt: hìc membra, hìc corpora rurſus
Induite, hìc vobis cineres aptate receptos,
O miſeri.
*Hierob.* Heu quantus graueolenti ex corpore fętor?
Quæ membris dira illuuies? quis ſqualor in ore eſt?
Hæccine nos epulis, hæc molli membra cubili
Fouimus? hæc gemmis, hæc fuluo inſtrauimus auro?
Turpius haud vſquam cęnum eſt, nec fæ dius vllū
Portentū ex pelagi, aut terræ ſe protulit antris.
In quaſcumque velis potius nos abijce ſordes,
Quam ſubijſſe iterum nos hæc informia cogas
Corpora.
*Phed.* Nequicquam gemitu iactatis inani
Vota, vel inuitas iuſſis parere neceſſe eſt.

## SCENA TERTIA.

Contruſis in ſepulchrum animabus noxijs, Infantes è lymbo euocantur.

*Banniel Angelus, Amos.*

*Ban.* INfantes, quos cęca domus caligine merſos
Occulit, in ſuperū è tenebris procedite lucē.

*Am.* Haud inuiti equidē iucundum lumen Olympi
Cernimus, atque vtinam, exiguo quod tempore quondam
Hausimus, hoc liceat per secula cuncta potiri.

*San.* Det rata vota Deus. Nunc vobis lactea membra
Sumite, quæ tumulis mors immatura coercet.


## SCENA QVARTA.

Contrusis in sepulchrum animabus Infantum

*Hiessiel Angelus ad Animas Purgatorij.*

*Hiessiel.* O Quas exercent certo pro tempore pœnæ,
Donec concretam labem sacer eximat ignis,
Huc reuocate gradum; pœnarum, atque ignis abunde est.

*An. Purg.* Maxime quas, Superûm Rex omnipotentis Olympi,
Pro meritis grates dabimus, laudesq; canemus?
Ad nos demittis Superis de fratribus vnum,
Qui vocet ex flāmis, superas qui tollat in auras,
Qui temere abiectos cineres, collapsaq; membra
Instauret, quique è tumulis deducat ouantes.
Adsis, ó Pater Indigetum, & tua munera firmes.



SCE-

## SCENA QVINTA.

Clamat Míchael clangente tuba ad mortuos.
Separantur inſontes ab improbis.

*Michael, Ilus, Calepn, Delia, Cocles.*

*Mich.* SVrgite quos grauis vrna premit, conſurgite caſſi (1)
Lumine, & ad Summi Regis properate tribunal.
Iam vos, ò ſocij, diuis abiungite ſontes:
Pars hæc dextra pios habeat, ſed læua nocentes.
*Ilus.* Quò, Pater, auellor? miſeri cur oſcula nati
Amplexuſque fugis? potuiſti linquere ſolum
Crudelis? ſtygiæ circundant vndique diræ (2)
His viuus tradar? ſic natum prodis Auerno?
Da genitor dextram, & tecũ me tolle per auras.
*Cal.* Hinc procul, hinc abſiſte, puer, gemituque parentem
Deſine compellare tuum: ſi noſtra tuliſſes
Pręcepta, ac monitus, nõ hæc modo fata ſubires.
Si nunquam Patrem es veritus: ſi nomina patris
Temnebas, ſi non patris mandata ſecutus,
Quem nunc imploras infido pectore patrem?
*Del.* Quo tibi, nate, fuga eſt, quid patrem torue tueris?

 Quo

1 *Ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de Cęlo, & mortui qui in Chriſto ſunt reſurgent primi.* Theſ. 4.

2 *Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum.* Matt. 13.

Quòu e oculos auersus abis? Ego Delia Mater.
Non materna vides niueo spumantia lacte
Vbera? non vterum fœcundo pondere fessum
Non lacerum crinem, contusaq;pectora palmis?
Quò genitricis honos?pietas quò prisca recessit?
*Coc.* Nequicquā querulo,genitrix, hæc ore volutas.
Me fouet alter amor,melior mihi reddita mater,
Tuque abeas , quò te furiæ rapiuntq; trahuntq;
*Mich.* Quò seræ nimium lacrymæ , serique dolores?
Iam iam aderit, paribus qui crimina cladibus æquet.
Vndique iam lecti cineres;iam vita sepultis
Reddita , iam sontes cętuque, atque agmine Diuûm
Auulsi,iam pars operis non parua peracta est.
Pergite Cęlicolæ mecum,cæptumque laborem
Perficite.Has nunc exuuias,Christiq;triumphos,
Hæc monumenta necis , cœsique insignia Regis
Accipite,& metuenda reis deferte per auras.

## SCENA SEXTA.

Separatis bonis à malis , tradit Michael Angelis insignia mortis Christi deferenda in locum Iudicij.

*Iabel, Melchiel , Hiesiel , Nabaliel , Israel, Baniel, Phedael, Michael.*

*Iab.* OBsequimur : manicas en ipse , & ferrea primus
Vincla fero : hæc vobis homines spectanda feruntur

His

His vobis quæsita salus, hæc vincula vestrum
In cædem rapuere Ducem, qui vincla resoluit
Vestra suis. Hæc vincla Deum tenuere furentem
In populos, flammasque, atque horrida fata minantem.
Sed satis indulsit vinclis, sat tempore longo
Se cohibet, vinclis dextramque, iramq; coercet.
Nunc contra vos vincla manent; vos ista luetis
Vincla Dei, & grauibus pēdetis vincula vinclis.

*Mel.* En Rex vester ad hanc impactus terga Columnam
Flagra tulit, Deus hæc inflixit verbera Nato,
Non Natum veritus, non inscia pectora culpæ.
Discite quæ sit vestra lues; si talia Regem
Fata premunt, quæ stat populo fortuna nocēti?

*Hies.* Hæc serta ex tribulis, atque hæc data purpura Christo est.
Hæc lacero capiti dumos infixit arundo.
Vos hæc sceptra Deo, vos hęc per tēpora vepres
Figitis: ille quidem fuerat meliora daturus
Serta, & purpureas vestes, ac sceptra parabat.
Sordida sed quando hæc vobis promissa vidētur,
Reddet pro tribulis tribulos, pro murice flammas.

*Nab.* Malleus hic triplici perfodit cuspide Christū,
Vraiectasque Dei distraxit in aera palmas,
nde daret facilem amplexum, & sua brachia vestris
Necteret. O scelus infandum, vos terga vocanti
Vertistis, terrisque animos, atque ora dedistis.
Ille etiam vos in terras, terræque tenebras
Abijciet; dabit & terras, queis terrea mens est.

At modo quò tua vis,tua quò victoria cessit?
Quò furor? en vacuas eiectis ossibus vrnas
Aspicis,en reduces has, quas tua dextera gentes
Strauerat:vna tibi imperiũ dedit arbor, & arbor
Abstulit:hæc celeres arcus, & spicula fregit.

## SCENA SEPTIMA.

Pater Æternus è Cœlo ad Christum Filium.

*Pater, Christus.*

*Pat.* NAte, Parentis honos, amor vnus, & vna voluptas,
Nunc hominum fatis extremum imponere finem (1)
Tempus & vltrices scelerum decernere pœnas:
Hæ tibi erunt partes. Tu sæui Iudicis iras
Expertus, nunc digna reis,& iusta rependes
Iudicia: Humanos artus præbebis & ora (2)
Quæ timeant sontes, & amet sacra turba piorum.
Huc vsque innumeris,ò Nate, incognitus oris,
Aut inuisus eras, nec dum tua credita multis
Numina,vel scelere, aut cultu temerata profano
Nunc

1 *Cum venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo.* Matt.25.

2 *Iesus, qui assumptus est à vobis in Cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in Cœlum.* Act.1.

Nunc rerum dominum, versantemque omnia dextra (1)
Te videat quicumque tuos contempsit honores.
*Christ.* Sācte Pater, mihi qui magni cōsortia mādas
Imperij, dextraque iubes regnare sedentem,
Iussa libens peragam.
*Pater.* Cape sceptri insignia nostri,
Quo quicquid scelerum, & culparum quicquid vbique est
Excutias; neque enim terras inglorius ibis.
Sat multos quondam duxisti ignobilis annos.
Vis tua nunc populis, tua nunc spectanda potestas,
*Christ.* Ascendi paucis olim comitatus Olympum:
Nunc septus populis, atque inter multa reuertar
Millia, nunc noua nupta meo dignata cubili
Teque, tuosque omnes thalamis, regnisq; mariti
Inferet, & mecum fœlices exiget annos.
Iamque vale, Genitor.
*Pater.* Vale Patris vnica proles.

## CHORVS NOCENTVM.

HEV quos dabimus miseranda cohors
Gemitus tanto funere dignos?
Heu quis ab imo pectore luctus
Mala nostra pari diluat vnda?
Quò delicijs nescia vinci
Nostra libido cessit? & auri

Ve-

1 *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat: & disceptabo cum eis ibi*, Ioel. 3.

Vesana fames? quò blanda Venus?
Quò raptus honos? rapta supellex?
Alias versat fortuna vices,
Alius rerum nascitur ordo.
Versa in tristes gaudia luctus:
Versa in gemitus ætherea chelis.
Erepta cohors fida sodalium,
Nullus amicos coniungit amor,
Oblita sui coniugis vxor,
Natisque suis auulsa parens.
Mens male conscia terrore labat.
Fremit hinc, atque hinc agmen Auerni
Capiti Iudex imminet atrox,
Mugit ab imo Tartarus antro.
Cur hæc miseris inuisa parens
Dedit ingratæ lumina vitæ?
Cur infantes nulla vorauit
Flamma, nec hausit Noricus ensis?
Scindite vestes flebile vulgus,
Plangite crebris pectora pugnis,
Lacerate comas, tollite questus:
Hæc vna licent gaudia vobis.



*Pila.* Hic ille, ò Solymi Patres, quem crimine diro
Damnatum, fixumque cruci demisimus Orco.
*Cayph.* Ille quidem: Quæ me, quæ vos nunc Tartara mergant?
Quis feret indignos? quos nunc dabit ore furores?

## SCENA TERTIA.

Singulos Electorum choros Christus inuitat ad coronam.

*Michael, Christus, Abraham, Moyses, Petrus, Stephanus, Augustinus, Antonius, Maria.*

*Mich.* MVrmure composito nunc Regem quisque loquentem
Audiat, & quæ fata sibi sint debita, discat.
*Christo ad Electos.* O Diuûm genus, ò supero dilecta Parēti
Agmina, nunc tandē multis illuxit ab annis
Expectata dies, qua vos tot casibus actos,
Et toto innumeris iactatos orbe periclis,
Accipio, reducesque animos, & corpora seruo.
Iam modus ærumnis positus: iam victa laborū
Sæuities: nimbis horrens iam bruma recessit.
Messis adest: licet æstiuas decerpere fruges.
Iam dubios scopulos, dubiæ iam syrtis arenas,
Æquoraque emensi, portus, & tuta videtis
Littora: iam positis siluerunt classica bellis.
Nulla vsquam armorum rabies, pax alta per Orbem.
*Christus ad Patriarchas.* Ponite tela manu, clarosque ex hoste triumphos

Accipite, ò Patres, quorũ est Hebræa propago,
Vnde mihi genus est seclorum ex ordine ductũ,
Vos ad prima voco vestri subsellia Regni:
Vobis ante alios promissa est fędere certo
Et sperata salus: primi referatis eandem.
*Abr.* Sic equidem fore, progenies ò nostra, parentes
Sperauere tui, neque nos hæc cura fefellit.
Te tandem fas est, sceptro, trabeaque micantem
Aspicere, atque Orbi mandantem iura subacto.
*Christus ad Prop.* Vestra, ò fatidici Vates, hæc altera palma est:
Vester & alter honos; vos, me, & mea fata canentes,
Exegit ferro, & varijs manus impia pœnis.
Nunc idem, quem per gladios, & tela tueri
Non piguit, supera lætos vos sede locabit.
*Moy.* Hæc tua laus, honor hic tuus est, ò gloria vatum:
Tu ventura mones, & vates vatibus ipse es.
Quin etiam nobis quæcunque oracula pandis,
Idem firma facis. Te clara in luce videri
Omnibus, ostendique palam tua munera terris,
Gratulor. Agnoscant populi, non somnia vates
Mentitos de te, cum non dum audita canebant.
*Christus ad Apost.* Ad vos nunc geminas acies & lumina verto,
Quos ego bissenos, populos complexus, in omnem
Fortunam, atque inopis vitæ, durique laboris
Adsciui socios: vos me fleuistis ad auras
Pendentem, & Solymi sudantem in culmine montis.

Vos

Vos primi me iussa Patris Diuin a ferentem
Audistis; vos hæc eadem sparsistis in Orbem:
Vos ceu præcelsi colles, quos vertice summo
Cępistis Phœbi radios, imbremque feracem
Fudistis nemorum in valles, vos more Parētum,
Hæc tam multa meis peperistis millia Regnis.
Palmatæ nunc dona togæ, sellasque curules (1)
Accipite, & mecum populis decernite sortes.

*S. Petr.* Hæc tua sunt promissa, Pater: nunc reddita læti
Accipimus, lætique tuos spectamus honores,
Et vultus nitidos, olim quos sanguine turpes
Vidimus, & dumis laceros.

*Christus ad Martyres.* Nunc præmia ferte,
Vos ò magnanimi Heroes, vos læta iuuentus,
Vos mihi funereas clades, & vulnera passi:
Vos rabiem experti Regum, vos prodiga vestri
Sanguinis, & flammis, & ferro nescia vinci
Pectora: quis vobis labor, aut fortuna pepercit?
Ceruices alijs falcatus perculit ensis:
Huic penitus direpta cutis, nudataque ferro
Viscera, crux alios infanda morte peremit.
At non indecores, nec inulti hæc sæua tulistis
Funera: nunc dabitur grauiora rependere vestris
Hostibus. Interea læti date tempora circum
Purpureos flores, victricis præmia dextræ.

*S. Steph.* Non mirum, Rex Omnipotens, nos talia passos.

Tu

1 *Sedebitis & vos super sedes duodecim iudicante duodecim tribus Israel*, Matth. 19.

Nunc caput, ac roſeos crines redimite corymbis,
Candidaque innuptæ ſuſpendite lilia fronti.
*Ad Matrem.* In primis tu cara Parens, cui munere noſtro
Nō ſobolem pudor inuidit, ſololeſue pudorem:
Nec tibi certus, & vnus honor, pulcherrima Virgo,
Omnes ſed ſuperûm palmas, & præmia diuûm
Vna feres: partes alijs, tibi Regia Cęli
Tota vacat.
*S.Mar.* Tua nil aliter ſperare iubebat
Me pietas, mea qui diuino viſcera fœtu
Compleras, Matri, caſtæque innoxius aluo:
Ergo etiam in ſummos Cęli me tollis honores?
Agnoſco merita hæc, atque alta mente repono.
Nunc tibi, quę reliqua eſt à dextris turba piorū,
Commendo, hos etiā meritis tua dextera donis
Augeat, & dictis animos ſoletur amicis.
*Chriſtus ad Confeſſores, & Simplices* Faxo equidem: vos has reliqui conſcendite ſedes,
Qui, thalamos quanuis, quanuis conceſſa ſecuti
Coniugia, & quanuis opibus, domibuſq; tuendis
Intenti; non vlla tamen contagia culpæ
Hæſerunt animis, aut ſi qua fuere, piaſtis.
Ergo etiam vobis ſummo ſtent præmia Cęlo:



## SCENA QVARTA.

Adam exorat terras incolendas ab Infantibus, qui in Limbo detinebantur.

*Adam, Amon, & reliqui.*

*Adam.* NVnc ô Rex hominum, rerumque æterna potestas,
Post mihi, post collata meæ tot munera proli,
Da, petijsse, meis quód votis deficit vnum.
Respicis infantum cunas, quos vbere matrum
Auulsos, huc vsque iubes vagire sub vmbris?
Horum nec scelus est aliquod, nec gloria facti
Vllius; ad neutrum vires dedit inuida Clotho.
Culpa quidem & scelus omne meum est: mea facta nocentem
Progeniem fecere meam: nunc quos mea letho
Culpa dedit, prosint ijsdem mea vota, precesque.
Non precor, in Cęlum tollas, quos nulla piauit
Sanguinis vnda tui: Terras, ac terrea præbe
Gaudia: da, Cęlum, quod nō conscendere fas est,
Aspiciant.

*Christ.* Placet, hæc etiam rata munera sunto.

*Amon vnus Infantum.* Quæ tibi laus, & honor par est, æquissime Iudex,
Quod nos ereptos tenebris, votique potentes,
Æthereamlucem tribuas hausisse per æuum.
Ora quidē tua, Rex Superū, neq; cernere fas est,
Nec petere; at rutilos Cœli mirabimur ignes,
Et si non Dominum, Domini spectabimus arces.

SCE-

## SCENA QVINTA.

Accuſatio, & ſententia reorum.

*Acheron, Angeli, Agapitus, Sebaſtianus, & reliqui.*

*Chri.* IAm verò cauſas opus eſt, & facta nocētum
Excutere, ac primùm fandi nunc copia cuique eſt,
Crimina ſi quis habet, nobis quæ deferat actor,
Aut quibus aduerſo teſtem ſe præbeat ore.
*Acher.* O Rex omnipotens, rectiq; acerrime Iudex,
Primus ego populum, quem pars hæc læua coercet
In Phlegetontæos ignes, Herebumque repoſco.
Natura tuus eſt; at ſi contagia culpæ
Inſpicias, meus eſt: noſtro certāmine victus
Succubuit: victos tradi victoribus æquum eſt.
Vltrò vltrò ſe ſe ipſe mihi ſubmiſit inermem:
Reſtitit ille tibi: riſit quæcumque monebas
Conſilia: & monitus noſtri, noſtræque placebant
Illecebræ: tua contempſit, mea dona ſecutus
Sponte ſua. Quod ſi ſceleratæ parcere genti
Eſt animus, cur nos ſupera detrudimur arce?
Quæ ſcelera in nobis? quicquid deliquimus vnum eſt:
Hi contra quæ non cæptis immanibus auſi
Flagitia? aut quæ vox illorum crimina fando
Explicet? En vaſtos ingenti pondere libros:
Hìc ſcelera, hìc culpas ſeruo deſcripta reorum.
Sæuijt hic ferro, dextraque in Tartara truncos

Innumeros dedit:hic multo prædatus egenos
Fœnore,& hic toties populatus Regna coemptis
Mercibus,hic fęda thalamos fœdauit adulter
Pellice:quid multis opus est? tu cętera nosti,
Tu meritas statue in scelerũ discrimina pænas.

*Phedael Angelus Tutelaris in ingratos.*

Nos quoque contemni querimur, Sanctissime Iudex.
Nostra viris semper, populisque impensa tuendis
Cura fuit, sed nunc quisquis custodibus vti
Noluit, actores habeat. Quæ tempora nostris
Officijs caruere? quibus noctemue, diemue
Defuimus? rabiem Eumenidum, stygiosque furores
Depulimus, castos dedimus sub pectore sensus.
Quod rectum fuerat, quod Christi milite dignũ
Suasimus. O quoties dum corpora somnus habebat,
Adstitimus vigiles,quoties pia vota Tonanti
Obtulimus,castasq;preces?Quot munere nostro
Casibus,& quantis vita est erepta periclis?
At vos immemores nóstri, Ditemque secuti
Omni custodes temerastis crimine vestros.
Tu Iudex paria ingratis exempla reponas.

*D. Agapis. in luxuriosos.*

O Deus, ô casti vindex æterne pudoris,
Nos etiam tradi in pœnas infanda rogamus
Agmina:vos animum Baccho,Veneriq;dicastis,
Vos sacrata Deo maculastis corpora turpi
Illuuie.Quod non petulans aggressa libido est?
Continuitne vllis oculos, aut corda puellis?
Quos violare thoros? aut quæ data iura maritis

Sol-

Soluere? quos consanguineos temerare penates
Extimuit? quin & nobis inferre parabat
Damna pudicitiæ. Tu nunc, æquissime Iudex,
Hanc venerem, hos fœdos grauioribus ignibus ignes
Extinguas.

*D. Anton. in ambitiosos, & diuites.*

An adhuc tumidæ fastigia gentis,
An fastus, aurique famem patieris inultam,
O contemptor opum? Patrias nos liquimus oras,
Cognatasque domos: nemorũ secessimus antris,
Viximus indecores: argenti, aurique talenta
Spreuimus: agrestem stirpes & gramina victum
Præbebant: olidæ pelles durata tegebant
Corpora: quin etiam ob vitæ melioris amorem
Viuere desijmus, nunc horum respice luxus.
Impendere dies epulis, nostramque perosi
Pauperiem, totis inhiarunt mentibus auro:
Emptus honor, rapti fasces, congesta supellex
Regia: nec lateri series admota clientum
Vsquam aberat: suspensa domo, suspensa cubili
Aulæa; hisne eadem quæ nobis commoda seruas
O Deus! an-ne opibus tumidos, auroq; nitentes
In consessu inopum pudeat regnare, verendum est?

*D. Aug. in contemptores verbi Dei.*

Omnipotens Deus, & recti, verique magister
Tradideras nobis populos, plebemque docendam:
Paruimus: quodcumq; gregi conducere visum,
Expositum satis est; sonuerunt pulpita nostris

Vocibus:in triuijs etiam,& per compita noster
Auditus clamor; sed nil clamore peractum.
At modo non verbis, clamandum est verbere,
Iudex.

*D. Seb. in Tyrannos.* O scelerum vindex, ò nostri sanguinis
vltor,
Innumeris mea membra vides laniata sagittis,
Vulnera nostra vides, & funera sæua tuorum.
Hæc ferro populata vides, hæc tradita flammis
Corpora, & illa vides pelagi demersa sub vndas.
Carnificũ hinc rabiem, & nostrũ depasta cruorẽ
Regum tela vides. Quæ, Iudex, quæ mora nũc est?
Stringe manu gladium, cladesq; vlciscere nostras.

*Camuel vnus Angelus ex Cœlorum motoribus in abusos Cęlorum beneficijs.* Nos, ó Rex Superùm, à primo deuoluimus æuo
AEthereos orbes: labentes duximus annos:
Abstulimus longè solem, mox tempore certo
Rettulimus, gelidasq: hyemes mutauimus æstu:
Nocti sidereos ignes, Phæbumque diei
Reddidimus: pauidis immoto sidere nautis
Affuimus, stabilique vias direximus astro.
Sed quid ego hæc refero? Nullis tractabile pectus
Muneribus: nullis istorum amentia victa est
~~Officijs;~~ nec te astrorum, cęlique potentem,
Nec memori nostros animo coluere labores.

*Iabel vnus ex Angelis elementorum Custodibus in abusos commodis elementorum.* Nos etiam innumeros tutati elementa per annos,
Tellurem in segetes, in frugem gramina, siluas
Induimus gregibus, pubescere iussimus herbas,

Extulimus fontes, mutatas æquore merces
Veximus,& grauidis pisces suffecimus vndis :
Aerias dedimus pluuias, & frigora flammis
Depulimus.Sed quis (gerimus dum talia)narret
Quæ scelera in terris passim per regna, per vrbes
Viderimus? Neque me,quæcumque aspeximus, aut quæ
Flagitia inuiti tulimus,memorare necesse est.
Ipsa palam se se recluso pectore produnt
Crimina,nec labes,quarum sibi cōscia mens est;
Dissimulare valet:scelerum patuere recessus :
*Turba reorum.* Heu heu quis Superûm nostri penetralia cordis
Prodidit?En tacitis animis quæcumque latebāt,
In lucem data sunt:Quæ nunc de montibus altis
Silua premet miseros, & fœda comantibus vmbris
Ora teget? quis nunc abrupto littore pontus
Infames vultus superantibus obruat vndis?
*Adam.* Ipse etiā accedam post omnes vltimus actor.
Vtque alijs hominum causas & facta relinquam,
Te mea verba petunt, Acheron:tibi feruidus insto
Delator : iuuat hìc antiquum explere dolorem
Longæui senis,& deceptæ coniugis iras.
Tu labes, tu prima lues,tu causa malorum.
Tu miseram insidijs aggressus, & arte puellam,
Vipeream inspiras tabem,nostramque veneno
Progeniem labente necas. Cur inuida pestis,
Cur mecum conferre pedem,& tentare palestrā
Non ausus?Quam victa tibi dat fœmina laudem?

Quin etiam nec te puduit tot iurgia dudum
Iactare,& miseros probris vrgere nocentes ?
An te ipso eluuies , monstrumue nocentius vllum est ?
Corpora nos hebetant , facilemque in crimina mentem
Membra premunt moribunda : tibi sine corpore vita est .
Si ruimus , te te ruimus suasore malorum .
Tu nullo suasore ruis . Tibi viuida mens est,
Ingeniumque celer: nos noxia corpora tardant.
Te scelerum stimulis agit,ac depellit Olympo
Liuor edax,odiumque Dei,nos blanda voluptas.
Tu Rex omnipotens æquissimus arbiter esto ,
Vtrorum impietas grauior : tu numine dextro
Vltorem mihi te præbe, generique meorum .
*Chri.* Iam longo iactata satis certamine lis est.
Vltima nunc dubijs quæ stet sententia rebus,
Accipite:ac primum tu Dux Cocytius iras
Experiere meas,tu primis semper ab annis
Infensus mihi: tu nostris auersus ab æuo
Laudibus , ac sceptris . Quas , implacabile monstrum ,
Arsisti in furias,cum prima ab origine mundi
Debita fata mihi,& Diuinæ Prolis honores
Vidisti ? Iam tum rabie, diraque superbus
Ambitione furis : cessisti pulsus Olympo :
An modus inuidiæ positus ? num pectus & iræ
Detumuere tuæ ? fremis, atque horrentia rursus
Bella cies , & dum mea Numina perdere certas,
Portentis scelerum misces, & cladibus orbem .
An vitæ,an capiti potuisti parcere nostro ?

An veritus me, me latronum more necandum
Erigere in truncos, lacerisque aduoluere saxum
Artubus,& tristi corpus temerare sepulchro?
Pridem etiam Christos alios, aliamque salutem
Mentitus, bellum repetens, & cœde meorum
Templa, domosque rigas. Heu plus satis inuida Cœlo:
Impatiensque iugi & domitari nescia pestis!
Nunc sceptrum excutiam terræ, pelagoque timendum,
Nunc in vincla manus adigam: nunc compede vinctos
Teque, tuosque premam, & stygio sub carcere mergam:
Nec superas dabitur posthac errare per auras.

*Ach.* Heu meliora precor, neu tantas incute clades
Christe potens rerum, nec Adæ clamosa senectus
Te moueat: nos ille odijs oppugnat iniquis.

*Chri.* Nec tacuisse potes? Michael immitia frænis
Ora premas. Hominum nunc pandere crimina tempus.
O prorsum imperijs genus intractabile nostris,
Hæc est illa dies, iu quam spectabat ab æuo
Annorum series: hanc vobis tota vetustas,
Hanc Diuûm monita, hanc vatum cortina minata est.
Vos-ne meas ausi leges rescindere, vos me
Posthabito stygii iurare in verba Magistri?
Quod facinus, quæ culpa mea est? nisi crimen & hoc est,
Sparsisse immemori, ac stolidę tot munera plebi.
Mitto ea, quæ dudũ memorarunt plurima nostri

Cœ-

Cœlicolæ; mitto, vobis quæ cognita tantum.
Non vno potui fera corda euincere dono,
Quod mihi, cui Genitor Deus est, cui sidera parent,
Vestri fidus amor vestros circumdedit artus.
Quid memorem infandos casus, vitæq; labores,
Frigora, probra, famem, variosque per oppida cursus?
Quidue dolis, falsoq; agitatam crimine cædem
Exequar? Aspicite hæc sæui monumenta doloris,
Quadrifidamque trabem, mersumque in viscera ferrum. (1)
Quæ potui maiora? quibus meus excidit vnquã
Officijs infractus amor? Sed quæ mihi contra est
Gratia pro meritis? quæ digna rependitis ipsi
Munera muneribus? Quoties vidistis egentẽ? (2)
Frigentem quoties? quoties & amica rogantem
Hospitia, & cererem exiguam, tenuemque lacernam?
An tectis inopem, an lacerum fouistis amictu?
An ne fame, aut morbo pallentem, aut carcere vinctum,
Solari auxilio, aut dictis lenire dolorem
Dignati? O rabidas animas, ò ferrea gentis
Pectora! quæ vobis circum præcordia cautes?
Aut quæ dura silex?

*Hierob.* Ne, clementissime Iudex,
Hæc scelera, has labes ingrati pectoris in te
Obijcias miseris. An te, ditissime Regum, (3)

Vi-

1 *Tunc parebit signum Filij hominis in Cęlo.* Matt. 30.
2 *Esuriui enim, & non dedistis &c.* Matt. 25.
3 *Domine quando te vidimus esurientem &c. Ibid.*

Vidimus in terris vnquam, morboque grauatū,
Enectumq: fame,aut cōfectum frigore membra.
O nobis vtinam venisses obuius vnquam?
Quæ fuimus gemmis,auroque intexta daturi
Pallia? quæ lautis passim conuiuia mensis?
Quot thalamos, & quot saturata cubilia cedro?
*Chri.* Nulla fides dictis; nequicquam hæc munera magno
Ore sonas: quicumque meos contempsit alumnos, (1)
Aut famulos, hic me in famulis cōtēpsit egentē.
Iamque adeo immites animos, quos munere nullo
Admonuit Superûm pietas, modo Tartara sæuo
Igne domēt:procul hinc aspectu absistite nostro.

Discedite Maledicti in ignem æternum.

ITe sub æterni nigrantes carceris ignes,
Ite,ò vipereæ pestes: ite agmina flammis
Debita: nulla mora est: sub cæci abrupta barathri
Ite,nec has auras vestro temerate veneno,
Ite mihi malè grata cohors,malè grata Parenti.
*Hierob.* Quò Superûm Pater, & nostræ spes vna salutis,
Præcipitare iubes? In quas depellimur oras?
Quæ subeunda tuis, Cœli quibus astra parabas,
Exilia? Anne tuo seruatam sanguine gentem
Tradis in Eumenidum furias? Vbi nam tuus ille
Ne

1 *Quod vni ex minimis meis fecistis,mihi fecistis*:Matt.10.

Nequicquàm memoratus amor? tantúmne labores
Verberaq; & vepres, & crux tolerata peribunt?

*Chri.* Non vllus veniæ locus est: hæc omnia quondã
Profuerant, nunc vos, fuerant quæcumque saluti,
Exitio grauiore premunt, pænasque minantur.

*Hierob. ad Angelos Tutelares* Vos ò Cælicolæ casus miserescite nostri,
Quos Deus omnipotens vitam legauit in omnem
Custodes miseris: experti munera semper
Vestra sumus: deeritne extremo vestra labori
Dextera? Si placidis clauum rexistis in undis,
Quid nũc tam rapida iactatam turbine puppim
Deseritis?

*Raph.* Mansit, dum spes incerta futuri,
Nec dum extincta salus, nec vestris ultima rebus
Orta dies fuerat, noster non defuit vlli
Aut labor, aut studium: sufficimus omnia vobis
Auxilia; at quando vobis mens improba nullis
Officijs mutata loco, nec verbere victa est,
Nec monitis: modo nos etiam producimus enses
In capita, & sæuos vobis accendimũs ignes.

*Hierob. ad Sanctos.* O Diuûm chorus, ó legio veneranda piorum,
Ad vos confugimus, vestram per numina Cœli
Obtestamur opem: vos hoc miserabile vulgus
Respicite, indignamque luem, & data corpora flammis.
Hic tantum locus auxilio est, hoc tempore solùm
Sperandum miseris: postquam nos tristis habebit

Tartarus, & fœdos Herebi tradetur in amnes.
Quid nostri gemitus? quid lamentabile murmur
Quidue manus vestræ poterunt? Nunc optima rerum
Præsidia
D. Petr. O scelerata cohors, attollere vultus
Infandos audetis adhuc, veniamque precari?
Nulla salus seros gemitus, luctumque sequetur.
Sic tumor ille animi, sic flecti nescia ceruix
Subsidat: sic est vitæ pensanda voluptas,
Sic grauis ambitio, lautæ sic fercula mensæ.
Hierob. ad Virginem. Quæ iam spes reliqua est? quæ nunc hominumque, Deûmque
Imploranda fides? Ad te, placidissima Virgo,
Cui Deus, & Pater est, & Matri Filius idem,
Labentes oculos, & brachia supplice dextra
Tendimus, in gremijsque tuis, ó Diua, salutem
Ponimus: ardentis demulce pectora Nati,
Iratos compone animos, blandire furenti.
Nunc pectus niueum, & Materni pignus amoris
Vbera, fæcundosque sinus, & viscera profer.
S. Mar. Non opus hic Natum, Matremque vrgere querelis:
Certa lues vobis, prece nec reuocabilis vlla est.
Ipsa ego, quæ vestros semper miserata labores,
Nunc flammas, & tela paro.
Hierob. Quis deinde vocandus?
Quis vota, & lacrymas, atque imo ex pectore voces
Audiat? Aduersis infrendent omnia telis.
Hinc Iudex fremit, atq; aspectu turbidus instat,
Hinc & fulmineos enses, hastasque coruscant

Cælicolæ: hinc terrent librata cuspide Diui.
Circumstant rapidæ Eumenides, stridentque catenis,
Et prædæ iamdudum inhiant: iam mugit Auerni
Sub pedibus tremefacta domus: iam prorsus alumnos
Indignatâ suos detrectat pondera tellus.
Quocumque inciderint oculi, quascumq; relicti
Vertimur in facies, arma vndique, & vndique clades.
Cogimur heu rursus tua poscere numina, Iudex;
Iesu, in te suprema salus, tibi dulce salutis
Nomen inest: an non æquabis nomina factis?
Quod si non superâ dignaris sede nocentes,
Idque Patris mandata vetant, non astra rogamus:
Da tandem placidis miseros consistere terris.

*Chris.* Haudquaquam placidis: terrarum abrupta petendum,
Sæuus vbi flammis manes exercet Auernus.

*Hierob.* Si flammas, Erebumque iubes, nec mitior vllus
Est locus ad pœnas, da certos cladibus annos,
Da tenebris, ignique modum.

*Chrif.* Modus vnus Auerni
Ignibus est, caruisse modo: non vlla vetustas,
Nulla dies, nox nulla luem, mortemque leuabit.
Mors erit in flammis non vlli obnoxia morti:
Mortua mors viuet, nam mortē inuita sequetur
Vita comes, simul & vitam mors nescia mortis.

*Hierob.* O cladem nullis æquandam fletibus vnquā,
Quam non longa dies, annosaque leniet ætas.

O vi-

O vitæ lethale malum, cui nulla senectus
Vltima, nec tumulus, nec mors optata subibit.
Ergo nec requies tanto concessa dolori?
Nec lacrymæ finem accipient? Phlegetontis in ignes
Deiecti, totos mæsti plorabimus annos?
Tristiaque æterno ducemus secula luctu?
Da saltem, Rex omnipotens, carosque sodales,
Et fidos comites: sint, qui sub Tartara nostram
Solentur, doleantque vicem.

*Chri.* Socia agmina iungam
Illa eadem, quæ me quondam placuere relicto.
Ibitis immixti ducibus flammantis Auerni!
Hi socij, & casus hæc sint solatia vestri.
Nec mora. Vos acies Superûm raptate sub vmbras
Infandum vulgus: trahite, & quæcunque laborum,
Pœnarumque lues fuerant mortalibus ægris,
Hæc etiam accedant Erebo, fatisque nocentum.
Tu Michael, postquam sontes demiseris Orco,
Adde feras centum, centumq; ad limina vectes.
At vos interea, quos ad meliora vocauit
Fata Parens, nostriq: dedit decus esse triumphi,
Mænia fælicis mecum conscendite Regni.

## SCENA SEXTA.

Ascendentes Beati cum Christo canunt.

TIbi progenies vnica Patris,
Magnæque Pater maxime Prolis,

Da-

Damus arguto pectine laudes,
Tremuloque chelin verbere plectimus:
Tu, quæ versat sidera mundus,
Tu quas fruges dædala tellus
Alit, & quicquid pontus, & æther
Cohibent, nostros condis in vsus.
Tu nostros Deus induis artus,
Passusque necem crimina diluis:
Cruce tu victus vincis Auernum,
Imoque Patres carcere vindicas.
Dum nos Erebi monstra lacesserent,
Tua nos clypeo dextera texit:
Dum iussa darent impia Reges
Tu iussa dabas temnere Regum.
Tu multa inter millia lectos,
Tibi nos socios in sceptra vocas.
Ergo sequimur quocumque trahis,
Et festa tibi carmina pangimus.

## SCENA SEPTIMA.

Scelesti frustra opem implorantes in Tartara compelluntur.

*Hieroboam, Antichristus, Cræsus, Sardanapalus, Michael, Turba reorum.*

*Hierob.* O Fortunatos nimium, quos aurea Cæli,
Et benè grata domus, Superûm stipante Senatu
Excipit. En quantos vobis pulcherrima cantus
Astra mouent, quantoq; resultant sidera plausu!

Vos

Vos fortunati: vobis naſcentibus æther
Riſit, laxauitque ſinus fortuna ſecundos.
Vos hæc feſta dies, hæc ſors optata manebat:
At nos exilio longè cæleſtibus oris
Eiecti, ſtygiæ nocti & pallentibus vmbris
Æternas damur in clades. Proh exitus impar
Amborum! ò nimium fatis diſtantia veſtris
Fata Erebi, in melius nullis mutanda diebus!
*Antich.* Quæ vis tanta, precor, quæ tanta potentia, me me
Tot quondam inſignem ſceptris, & regna mouentem
Egit in has tenebras, & miſcuit omnia luctu?
Chriſtum ego mentitus quondam, Dauidis in aulam
Inuaſi: mihi Roma ferox, mihi Memphis, & Indus
Succubuit, Lybiamq; ſuã mihi tradidit Ammon.
Nunc contra, ò ſubitos Cęli de vertice caſus!
In triſtes agor en domita ceruice triumphos.
Quò nunc ſceptra manu verſo? cur aurea frontẽ
Serta premunt? Anne hæc ardebũt vincula collo?
Abſiſtant procul hinc onera infœlicia dextræ
Et capitis, mihi quæ tantos peperęre dolores:
Ite triumphales, quondàm mea gaudia, laurus.
*Cræſus.* Ergo hæc pauperies Cræſum, ſordeſque manebant?
Hîc ſqualor ſubeundus erat? Nec talia quondã
Atticus ille Solon Cræſo metuenda canebat.
Quò fugit nitor ille auri? quò tecta pyropis
Ignea? quò Lydæ ſplendor, quò gloria gazæ?
Omnia mors rapuit: loculos mihi liquit inanes:

Eheu nulla manet Cræsi dominantis imago.
Nudus, inops trahitur sub olētē Crçsus Auernū.
*Sardan.* Quó fessum rapitis furiæ? quò mollia mēbra
Purpureis assueta thoris? quò segnia luxu
Corpora? Me miserum, quænam hæc noua tempora rerum?
Duros Eumenidum thalamos, flammasq; luendū
Assyrio Regi, solito dare tempora circum
Liliaq; & myrtum, & plenis accumbere mensis:
In venerem toto venari ex orbe puellas,
Nocturnas æquare vices, æquare diurnas
Delicijs, & nunc somnos, nunc ducere ludos.
Hei mihi quis robur membris imbellibus addat?
Et teneros artus stygios obduret in ignes?
*Mich.* Desinite hos gemitus: olim deflere decebat,
Cum fuerat viuis melior data copia flendi:
Sistite nūc lacrymas, nec ducite tempora luctu:
AEternùm dabitur stygijs lugere sub antris.
Cōdite nūc capita in fauces bipatentis Auerni.
*Hierob.* Nō vnquā has Erebi coges intrare tenebras:
Malumus hìc ferro excindi, quàm nigra videre
Tartara: Tellurem manibus prensabimus vncis:
Desigemus humi stabili vestigia gressu,
Atque immota solo sternemus membra supini.
Hìc gladium, hìc sæuos molire nocētibus ignes.
*Mich.* Corpora nequicquam terrç resupina dedistis;
Pallentes iter hinc etiam pandetur in vmbras.
Nunc, Acheron, iubeo rupta tellure dehiscas,
Præcipitesque viros ima in penetralia Ditis
Abripias.
*Turb. reor* Heu, heu, heu, heu, heu, heu, heu, heu, heu.
*Mich.* Nūc ego demersos impresso ter pede calcās,
Ferratos foribus desigo in secula vectes.

FINIS.

| | *Errata* | *Corrige :* |
|---|---|---|
| p. 10. v. 13. | Rethores | Rhetores |
| p. 11. v. 19. | rapido | rabido |
| p. 23. v. 20. | nabia | nablia |
| p. 32. v. 12. | examines | exanimes |
| p. 40. v. 6. | cędes. | cędes |
| p. 49. v. 16. | diuturnę | diuturna |
| p. 56. v. 26. | factus | factum |
| p. 59. v. 14. | raptę | ruptę |
| v. 15. in | marg. deest | Sephron |
| p. 65. v. 6. | rapidisque | rabidisque |
| v. 13. | carcet | carcer |
| p. 91. v. 2. | membra. | membra? |
| p. 92. v. 21. | producimus | procudimus |
| p. 93. v. 1. | amnes. | amnes |
| p. 94. v. 7. | indignatà | indignata |
| p. 95. v. 13. | Auerni? | Auerni; |

# IOANNES PAVLVS OLIVA
## Præpoſitus Generalis Soc. Ieſu :

CVm Tragœdiam, quę inſcribitur *Chriſtus Iudex* à bo. me. P. Stephano Tuccio noſtræ Societatis, dum viueret, Religioſo conſcriptam aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ijs, ad quos pertinet, ita videbitur. Cuius rei gratia has literas manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas dedimus. Romæ 6. Aprilis 1673.

*Ioannes Paulus Oliua.*